

Sammelband 808.

Antiquar. / einer Buchdruckerei

Intit:

io Patronymis. 3 foliis

Ritana.

Argentib.

Lingua:

Sci.

an Historia.

manus

circa Ayenda Salaria et honoris Minister
Corby Lat. et Graec. Literis 15. M. 1531

Autolyc.

manus loysenti modis

ac naturam.

vienensis Principium.

Italiae, Gallicanae translatione.

erijari

146.

ponificie.

34. Antonii de Loria Propaganda Lett. Cognit. hab. moe
35. Isbellii Bratis Inauguratio
36. T. Universit. von Leiden Verf.
37. Democrata. Magazin für gesamtheitl. Interessirte. Berlin
dieses Verf. von F. H. J.

M. o. 84

35
ver

S. A. Z. M. n. B.
1831 oho

Recensio[n]em de hac Poeti Orpheica E[st]herbachii vide
in der Nachdruck von Dina Lülfus und Anna Ulf.
Gruß an den Holländischen Bibliothek Tomt. pag
193: 194. daß dies Recensio[n]e maßst. ist var.

26

27

Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE

ORIGINE ET POTESTATE EPISCOPORUM

SENTENTIAM SINGVLAREM
VIRI CLARISSIMI.

HENRICI DODVVELLI
EXPENDENS

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIP E AC DOMINO,
DN. WILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE , IVLIACI , CLIVIAE , AC MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAEQVE, RELIQVA,
AD DIEM DECEMBR. MDCCV.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTENT
P R A E S E S

IO. FRANCISCVS BVDDEVS

SS. THEOL. D. ET P. P.
RESPONDENS

M. IO. DAVID BAIERVS.
IENENSIS.

I E N A E
Typis MULLERIANIS.

DILEXIT IAHU
STATUTIS TUA
TERRAM
TERRAM
CORI
CIVICIA



Σύνοψις.

Causae, quae ad sententiam Dodvveli de episcopis examinandam, nos impulerint, §. I. Auctoris sententia de origine & potestate episcoporum, summatim exhibetur, §. II. Confertur cum sententia Benedicti Bacchini, §. III. Normam regiminis ecclesiastici Dodvvellus veteris ecclesiae traditionem constituit: reiicitque libros canonicos, §. IV. Perperam quidem prius, §. V. Nec rectius posterius, §. VI. Amenti domini & apostolorum conueniens dici queat, quam comminiscitur, regiminis ecclesiastici ratio? Locus Ioannis IV. 21. ὡς ἐν παρόδῳ explicatur, §. VII. Traditionis ecclesiasticae incertitudo in hoc quoque capite, probatur exemplo controuersiae de episcoporum, & presbyterorum, in regimine ecclesiae, auctoritate. Testimonia patrum, qui episcopis fauent, §. VIII. Eorum qui presbyteris fauent,

uent, §. IX. Quae regiminis ecclesiastici secundum sacrarum litterarum praescriptum, ratio sit, docetur ex I. Cor. XII. 28. seqq. §. X. XI. XII. Idem docetur ex Ephes. IV. 11. §. XIII. Regiminis ecclesiastici ratio a scriptura praescripta, probatur porro praxi veteris ecclesiae, §. XIV. Quo pacto regimen hoc ecclesiasticum immutatum sit, & quae sit vera origo episcoporum? §. XV. Quid per nostram hypothesin facile intelligatur, cur nonnulli veterum, episcoporum, alii autem presbyterorum, causam egerint, §. XVI. Ad Dodvvellum iterum transitur: sententiaque eius de primatu ecclesiae Hierosolymitanae, sub examen revocatur, §. XVII. De Platonicis patrum ratiociniis, in quibus vir doctus cause sua patrocinium quaerit, §. XVIII. Exempla horum ratiociniorum afferuntur, simulque de loco Gal. IV. 26. differitur, §. XIX. Vnitas ecclesiae, ad quam prouocat, in quo constat? §. XX. Explicatur ulterius ex Pearsonio, §. XXI. Quo iure episcopus Hierosolymitanus dicitur principium unitatis catholicae, §. XXII. Christiani cur συμπολίται ἀγίων dicantur, Ephes. II. 19. §. XXIII. Quid II. Thessal. II. 6. pertinet οὐατέχον intelligatur, §. XXIV. Primatu ab ecclesia Hierosolymitana, bac destructa, ad Ephesinam translato,

to, episcopos demum ortos existimat Dodvvellus,
 §. XXV. Rursus perperam, cum ut Hierosolymitanus, ita & Epbesinus primatus fundamento de-
 situatur ; differitur de loco Ioannis XXI. 24. §.
 XXVI. Epbesinus primatus ulterius impugnatur ;
 & huic superstructa episcoporum origo reicitur,
 §. XXVII. Nostra de origine episcoporum senten-
 tia denuo confirmatur, ex I. Pet. V. 2. 3. circa quod
 testimonium singularis Dodvelli sententia, discu-
 titur, & locus etiam I. Tim. V. 17. velut in tran-
 situ, explicatur, §. XXVIII. Ab origine episcopo-
 rum ad illorum potestatem transitur, eaque inspi-
 ritualem & temporalem dispescitur, illa ex sacris
 litteris definitur, §. XXIX. De potestate episcopo-
 rum, quam vocant, ordinis, iuxta verbi diuini
 praescriptum, §. XXX. iuxta consuetudinem &
 mores ecclesiae §. XXXI. De potestate iurisdictio-
 nis ecclesiasticae, quae vulgo episcopis tribuitur,
 deque clave soluente, §. XXXII. De clave ligante &
 excommunicatione §. XXXIII. De potestate episco-
 porum temporali, §. XXXIV. Ad Dodvvellum
 iterum acceditur, qui nimis subtiliter fundamen-
 tum potestatis episcopalnis in nexu visibilium & in-
 visibilium querit, §. XXXV. Cypriani locus, de una
 ecclesia, uno episcopo, uno episcopatu, explicatur,

§. XXXVI. Fundamento subruto, ostenditur, episcopos non constituisse peculiare ecclesiae collegium; nec aristocraticam hanc regiminis formam, aut necessariam fuisse, aut vitilem, §. XXXVII. Imperitas episcoporum unde orta? ius eligendi episcopos cui competit? XXXVIII. An a quo exui episcopus dignitate episcopalii posse? §. XXXIX. An tanti momenti potestas episcoporum in ecclesia sit, quanti eam esse putat Dodvvellus? §. XL. An abrogatio potestatis episcopalnis magnum adulterit impedimentum reformationi? sententia hac de re Dodvelli, §. XLI. Episcopalem potestatem in nostra ecclesia non plane abrogatam, sed certis saltibus limitibus circumscriptam esse, §. XLII. Respondeatur ad primam Dodvelli rationem, primis reformatoribus iustam defuisse reformati autoritatem, §. XLIII. Item ad alteram: plures ad ecclesiam protestantium accessuros fuisse, sibi potestatem episcopalem retinuissent, §. XLIV. Independentia episcoporum a potestate magistratus, ab auctore asserta. An recte ab eo dictum: principibus ius nullum esse in episcoporum spiritualia? §. XLV. Quid factu opus, si principes iure suo circa sacra, abutantur? §. XLVI. An ecclesiae metuenda dissolutio, nisi a principum potestate immu-

§(7)5

mines sint episcopi? §. XLVII. Laudatur Dod-
vellus afferens, minime rebus suis consulere prin-
cipes, religioni vim inferentes, §. XLVIII. An
ex iurium episcopalium restituzione, qualem vult
Doddvellus, speranda sit concordia, saltem cum
modestioribus, ex Romanensibus? §. XLIX. In-
ra episcoporum & officia erga eos, qualia ab au-
tore constituantur, tanti momenti non esse, ut
catechesibus inseri debeat, euincitur; & disserta-
tioni finis imponitur. §. L.

§. I.



On pruritus dissentientes refel-
lendi, aut intempestiuia alio-
rum se interponendi litibus
cupiditas, sed veritatis amor,
studiumque eam ubique &
indagandi, & conferuandi, &
defendendi, nos adduxit, ut
praesens dissertationi huic feligeremus argumen-
tum. Notae omnibus sunt, quae de episco-
porum origine, potestate, iuribus, in Anglia
iam pridem agitantur lites. Quae & nostra ita
recludere aetate, ut maiori profecto, quam

vn-

vñquam, libertate, episcoporum nec regum subiectam imperio auctoritatem, adserere nonnulli ausi sint. Eminet inter hosce HENRICVS DODWELLVS, vir doctus, & egregiis ingenii atque eruditionis monumentis illustris. Quem cum causa ista defensorem nacta sit, vel sola viri fama, cupidos harum rerum commouere potuit, vt accuratius paulo examinanda sibi sumerent, quae pro sententia, plerorumque, qui Protestantium nomine veniunt, calculo reiecta, tandem in medium adulterit. Illis saltem, quorum officii ratio postulat, vt doctrinam, quam veram agnoscunt, & profitentur, subinde repetant, defendant, tueantur, vitio verti haud potest, si occasionem quamcunque officii explendi leges, arripiant. Praesertim si ab illis impugnatur, quorum vel sola auctoritas, vel eruditionis, qua florent, fama, ingens illi detrimentum adserre potest. Parum, fateor, nostra refert, quid in Anglia aut scribant, aut moliantur viri docti, nisi discendi saltem cupiditas ad talia cognoscenda animum extimulet: ast refert maximopere, in rebus magni momenti, exponere, & confirmare veritatem, eamque a magnorum virorum vindicare obiectiōibus. Quae si quis recte consideret, innocen-

it

55 (2) 56

ti profus consilio quaestione a nobis tractari intelliget, cui Anglicana equidem occasionem praebuit controversia, sed de qua non minus in Germania acriter subinde fuit disputatum, & si fontes ac fundamentum spectes, adhuc disputatur. Hoc saltem discriminis intercedit, quod qui episcoporum ordinisque ecclesiastici partes aut palam, aut per ambages, in Germania tuentur, saltem ex Romanensibus, eruditione & ingenio multum iis cedant, qui in Anglia hanc causam tuendam defendendamque suscepérunt.

§. II. Hoc vero vel HENRICI DODWELLI, clarissimi viri, exemplo constat, qui, cum nuper haec controversia in orbem rediret, de nupero schismate Anglicano, paraenesin ad exterros edit, tam Reformatos quam Pontificios, qua, ut titulus libri habet, iura episcoporum vetera, corundemque a magistratu seculari independentia, omnibus adserenda commendatur. In ea quae vir clarissimus pro episcoporum iuribus differit, hic fere redeunt. Apostolos in clero Hierosolymitano, respondisse αεχρεγενσι in synedrio Hierosolymitano, parique adeo in ecclesia christiana praeditos fuisse potestate: vti rursus in apostolorum collegio primum habuerint locum domi-

ni cognati. Fuisse autem & secundum ecclesiae Hierosolymitanae collegium, quod cum secundo synedrii Iudaici collegio etiam nomen *presbyterorum* commune habuerit ; ad cuius exemplum etiam in exteris ecclesiis presbyteri fuerint constituti. Id vero ea ratione, ut apostolorum tempore omnes ecclesiae christianaec subiectae essent ecclesiae Hierosolymitanae, quae & per apostolos vniuersae ecclesiae disciplinam exercuerit. Principium itaque unitatis catholicae fuisse episcopum Hierosolymitanum: ast extincta per urbis & reipublicae Iudaicae eversionem , Hierosolymita ecclesia, successisse in singulis ecclesiis episcopos, pares episcopo Hierosolymitano, idque plane ex mente domini & apostolorum, a quibus & potestate suam primi isti episcopi acceperint. Ast cum post caudem Simeonis, collegium apostolorum Ephesi esset, praeside Ioanne apostolo , primatum ab ecclesia Hierosolymitana translatum esse ad Ephesinam. Et ab hoc quidem collegio apostolorum Ephesino περοναρέδης episcopos appellatos , & noua etiam potestate donatos, ut tamen non desinerent apostolis esse obnoxii. Et hinc cum nomine episcoporum potestatem quoque tam cito inualuisse : cuius
rei

rei frustra aliam alii querant rationem. Fuisse
 equidem iam apostolorum aetate , & presbyte-
 ros aliquando episcopos dictos , sed latius sumpta
 voce, itaque adpellatos, quod eleemosynis Deo sa-
 cratis distribuendis praesessent, *et si nulla coercendi*
*potes*tate gauderent. Episcopos autem istos proprie-
 sic dictos , ob nexus visibilium episcoporum
 cum inuisibili , sua sententia ius communionis v-
 niuersalis & dedisse recte & abstulisse , proprium
 que velut quoddam collegium per se constituise.
 Et hinc eam regiminis ecclesiastici formam
 resultasse, quae tum vniendis in se ecclesiis , tum
 concordiae ecclesiarum diuersarum secum inui-
 cem stabilienda, longe fuerit vtilissima: impa-
 ritatem vero episcoporum, quae deinceps obti-
 nuit, singulorum episcoporum partis esse tribuen-
 dam. Ad collegii autem huius episcopalnis iura
 quod attinet, ius episcoporum in sedes vacantes
 sufficiendorum omnino ad illud spe&tasse, ut &
 ius deponendi, in causa sacrificii, haeref eos aut
 schismatis. Eaque episcoporum in ecclesia po-
 testas , cum longe maius, quam vulgo credatur,
 momentum trahat, ius fasque esse concludit, vt
 de restaurando episcopatu serio omnes cogitati-
 onem suscipiant. Et quemadmodum iuribus

¶ (11) ¶

episcoporum aduerfa sint, quae sibi Romanus vindicat Pontifex, ita paritatem contra episcoporum bono ecclesiae publico longe esse vtilissimam. Principibus autem nullum esse in episcoporum, spiritualia imperium; iisdemque hac in re non admodum esse fidendum: immo plane ad ecclesiae dissolutionem spectare, si hoc ius episcopos officio spirituali exuendi, principibus concedatur. Sed & suis parum hac ratione inseruire commodis principes, religioni ipsi vim inferentes; adeoque quoquis modo esse annitendum, ut episcopi cum primaeuis suis iuribus restituantur. Faciliorem quoque hoc pacto fore viam ad concordiam cum modestioribus Romanensium; & quae reliqua sunt eiusdem commatis.

§. III. Cum hac DODWELLI si aliorum de origine episcoporum & totius hierarchiae ecclesiasticae, conferre sententias vellem, latissimus mibi dicendi hic panderetur campus. Diuersas enim admodum ad eam explicandam, rationesque huius ordinis inueniendas, excogitarunt hypotheses. Facere tamen non possum, quin paucis commemorem sententiam BENEDICTI BACCHINI, Monachi Benedictino-Cassensis, quam in dissertatione de ecclesiasticae hierarchiae ori-

gi-

ginib[us], M[er]tinæ anno MDCCIII, edita, proponit, cum conuenire in quibusdam cum sententia DODWELLI videatur. Reiecta namque rectissime illorum sententia, qui ecclesiam ad formam imperii Romani ab apostolis constitutam contendunt, tres ante omnia periodos propagatae religionis christianaæ obseruandas censet. * Primam, cum solis Iudeis euangelium annuntiaretur; alteram, cum gentiles, etiam iis in locis, vbi frequentes habitabant Iudei, admissi fuere; tertiam cum gentilibus promiscue, etiam vbi rari aut nulli Iudei inueniebantur, euangelii doctrina pateficeret. In prima ergo periodo, ecclesiam Hierosolymitanam, quam etiam aliae in Iudea, vbi synedria erant, velut metropolitanam agnouerint, Iudeorum politiae accommodatam, eminuisse, adserit BACCHINIVS. Qui hactenus cum DODWELLO, primatum ecclesiae Hierosolymitanae acriter defendente consentit, in eo saltem securus existimans, quod inter Iudeae ecclesiæ eminuisse Hierosolymitanam putat, quod concedi, si recte capiatur, potest: cum DODWELLVS contra primatum ecclesiæ vniuersæ, vindicet Hierolymitanæ. Pro

* part. I. cap. III. add. acta erud. Lips. MDCCV. mens. Jul. p. 330. seqq.

vtriusque etiam , maxime tamen pro DODWELLI
 sententia facere videtur, quod idem BACCHINIVS,
 traditionem antiquissimi scriptoris APOLLONII,*
 quod seruator apostolis suis praeceperit , ne in-
 tra duodecim annos Hierosolymis excederent ,
 magno ceteroquin eruditorum consensu reie-
 ctam, recte , vt putat, explicatam , tueatur. Sed
 in altera tertiaque periodo in quaevis alia dis-
 credit BACCHINIVS. Etenim vbi gentiles Iudeis
 mixti, euangelii luce collustrati sunt , cum Iude-
 orum tamen habita ratio praecipue fuerit , mo-
 ribus quoque Iudeorum plurimum datum fu-
 isse , illi vero est persimile. Hinc in oriente , pri-
 mum quidem Antiochiae , deinde Alexandriae,
 in quibus urbibus magna fuerit Iudeorum &
 frequentia & auctoritas , primas sedes fuisse fun-
 das , quibus ecclesiae christianaee aliae , tan-
 quam metropolitanis essent obnoxiae : in occi-
 dente vero Romae , & quidem tanquam in cen-
 tro unitatis, principem omnium sedem fuisse con-
 stitutam , quod magna Iudeorum frequentia ,
 & omnis gentilium superstitione ibi conuenisset: ad
 quam fundandam & ordinandam , apostolorum
 primi sumimique , Petrus & Paulus , coepisco-
 po-

* vid. Eusebius hist. eccl., lib. V. cap. XVIII.

porum instar , ita tamen , vt vtriusque verticis iura solum a Petro , in successores , Romanos Pontifices , fuerint transmittenda , symbolam suam contulerint . Non prorsus male BACCHINIVS , modo a se impetrare potuisset , vt affulgentem illi veritatem reliquis opinionibus praeiudicatis , procul remotis , ariperet . Contigit autem & illi , quod plerisque in hoc campo versantibus contingere solet , vt , quae facti sunt , non discernant ab iis , quae iuris sunt : & quae , causis quibusdam naturalibus & moralibus id efficientibus , euenerunt , ita intueantur , ac si per leges & constitutiones ita euenire debuerint . Vt Antiochia , Alexandria , Roma , metropoles fierent , mirandum non est , cum apostoli in vrbes maiores primum se conferrent , ex quibus facilius diffundi salutaris doctrina , & in varias vrbes minores ac prouincias propageri posset . Quae itaque vrbes aut prouinciae ex maiori quadam vrbe doctrinam salutarem acceperant , ex grati animi lege eam velut matrem venerabantur . Id quidem non male . Sed qui sibi persuaserit , ideo velut apostolica auctoritate , in his vrribus *sedes primas fuisse fundatas* , oppido fallitur , rerumque humanarum ignorare conditionem vi-

de-

35 (16) 36

detur, & quod probare nequit, adserit. Admittimus autem lubenter, quod per hypothesin BACCHINII primatus honore ratione ecclesiae vniuersae, excidat Romana ecclesia, quippe qui eidem Antiochenam & Alexandrinam fere aequiparat, Hierosolymitanam certo modo praeferit. In occidente enim saltem, Romae, & quidem tanquam in centro vnitatis, principem omnium sedem constitutam putat: male tamen iterum, quod sibi ipso facto praesules isti vindicarunt, apostolorum sanctonibus tribuens. Admittimus etiam quod Petro in pontificatu Paulum adiungit. Sed quod addit, a solo Petro iura in successores fuisse transmittenda, id inter commenta eiusmodi referimus, quae ad sustentandam labascentem hierarchiae Romanae motlem, quotidie excogitantur. In tertia denique periodo, cum ad gentiles, vbi Iudaei aut nulli aut perpauci, euangelii gratia emanasset, fundatas certe & ab ipsis apostolis, & ab eorum successoribus, ecclesias fuisse putat, nec paucas, sed quae, si BACCHINIVM audias, Romanam vnicam pro Metropolitana veneraretur: quemadmodum nec alii ad veritatis lumen gentiles conuerterint, quam qui a Petro & successoribus episco-

SS (17) SS

episcopali charætere insigniti , eumque in finem
missi fuissent. Id equidem voluerunt Romani
praesules , & omnibus adnisi sunt viribus. Hinc
cum magna iam illorum , ob Romanae vrbis
celebritatem , & magnitudinem , in occidente
præcipue , auctoritas esset , eo facilius per episco-
pos suos conuertebant gentes , quas imperio suo
subiectas cupiebant. Id enim uero an menti
apostolorum , an statui & indoli ecclesiae , con-
ueniens sit , longe alia quaestio est , iam a nobis ,
qui alia agimus , non decidenda. Reuertimur
itaque ad DODWELLVM.

§. IV. Multa profecto hic occurrunt , ac-
curationi disquisitione digna. Nos vero ad ea ,
quae ad caput causae pertinent , nonnulla obserua-
bimus. Sed vt de norma , ad quam regiminis
ecclesiastici ratio exigenda , simus solliciti , res ipsa
iubet. Hanc DODWELLVS non aliam agnoscit , quā
primitiuae , quam vocat ecclesiae doctrinam atque
exemplum. * Nec sequestrem , iudicemque in hac
lite alium audiendum contendit , quam illam i-
psam ecclesiam catholicam primaeuam. Eam
enim demum veram habendam esse reformatio-
nem , quae recentioris ecclesiae errores ad illam

C

ec-

* §. IV. p. 5.



ecclesiam exigat, quam certissimo constet omnium fuisse purissimam. Id vero omnium consensu de primaeua constare ecclesia; quae & sibi in fide receptarum ab apostolis traditionum constet, quorsum IRENAEI, TERTVLLIANI, & VINCENTII LIRINENSIS argumenta spectent. Quae pluribus edisserit, de praerogatiua primaeuae ecclesiae varia in medium adserens. Non ergo secundum praeiudicatas hodiernarum ecclesiarum opiniones,* sententiam hac de re ferendam concludit, cum in omnibus ecclesiis hodie reperiantur nouitates, quae si pro norma habeantur, antiquitatis primaeuae cultum exclusurae sint. Primaeuae ecclesiae nomine autem, cum non tam ipsam apostolicam, saltem qualis stante adhuc ecclesia Hierosolymitana fuit, intelligat, quam eam quae post Hierosolimitanae euersiōnem floruit, ad cuius exemplum vel maxime regimen ecclesiae hodie componendum contendit: nouum hinc ei resultat argumentum, cur de ecclesiae regimine ex libris canonicis noui testamenti non sit pronunciandum: *Et quidem, inquit, * ad Traiani tempora, Simeonisque Cleopae martyrium, descendit ius illud ecclesiae Hierosolymitanae.*

* §. V. p. 8. §. XIII. p. 54.

Solymitanae. Multis postea annis, quum exces-
sisset S. Petrus, & quum scripta noui testamenti
canonica omnia fuerint exarata. Et tamen ex-
spectant aduersarii, ut ex his ipsis scriptis regimi-
nis ecclesiastici formam eliceremus, hodieque ob-
servandi. Ideone restaurandum censebant pri-
maeum illum ecclesiae Hierosolymitanae prima-
tum ? Et quibusdam interiectis : * Est-
que sane admodum precaria omnis illa argu-
mentatio, qua colligitur, disciplinae ecclesiasticae
imposteriorum recipienda rationem omnem e scriptu-
ris noui foederis esse bauriendam. Nullus enim
est, qui id profitetur aperte, sacriscriptoris locus.
Et ne quidem ullus, qui ita de regimine agat ec-
clesiastico, quasi id voluisse scriptor, aut scripto-
ris auctor Spiritus sanctus, ut formam aliquam
vnam regiminis ubique & in omne aeuum dura-
turi describeret : quibus & alia eiusdem generis
subiungit, deinceps summatim discutienda.

§. V. Haec vero eiusmodi sunt, vt ea non-
dum mihi persuaderi patiar. Enimuero cum
non alii fontes sint cognoscendi diuinam volun-
tam, quam scripture sacra, & recta ratio:
non potest etiam pro diuina constitutione id re-

* §. XIV. p. 57.

putari, quod nec ex scriptura sacra, nec ex recta ratione patescit. Ergo, vel ipso fatente DODWELLO, non erit diuinae originis illa regiminis ecclesiastici ratio, quam tantopere commendat. Qua quidem ratione & magnopere dissentit ab aliis episcopalibus auctoratis adsertoribus, quo quis modo ex scriptura sacra eam deriuare adnitentibus, & maximum causae suae robur detrahit. Etenim si regiminis ecclesiastici, quam defendit, ratio, tantum ntitur exemplo & facto veteris ecclesiae, nullam ego eiusdem regiminis video necessitatem. In iis enim quae diuino iure non sunt constituta, nulla adest obligatio, veteris ecclesiae exemplum imitandi. Vnde enim ista veteris ecclesiae potestas auctoritasque? Conciliorum in tantum recipimus decreta, in quantum cum scriptura sacra conueniunt: nec per se obligandi vim habent; sed quam habent, scripturae sacrae, si modo cum ea consentiunt, acceptam ferunt: ergo nec facta & exempla veteris ecclesiae aliter sunt consideranda. Quare eodem iure, quo vetus ecclesia, si quidem auctoris hypothesin admittamus, destructa ecclesia Hierosolymitana, nouam regiminis ecclesiastici rationem introduxit, ecclesia etiam sequentium aetatum nouam, suisque for-

te

te temporibus magis conuenientem introducere potuit regiminis ecclesiastici formam. Eam demum veram habendam esse reformationem, quae recentioris ecclesiae errores ad illam ecclesiam exigat, quam certissime constat fuisse purissimam, lubentissime concedo. Sed ut apostolica ecclesia ea omnino fuit, de qua certissime constat, fuisse eam purissimam, ita in *erroribus* demum, ut rectissime auctor dicit, talis instituenda reformatio. Instituta antem & placa-
ta, quae diuinis litteris non sunt contraria, cum pro indifferentibus merito habeantur, non possunt inter errores referri, multo mi-
nus in his statim imitandum est exemplum veteris ecclesiae. Quod generatim equidem in-
tellectum cupio, cum de norma huius contro-
uersiae nunc sermo nobis instituatur : de ipsa ve-
ro quaestione, quid censendum sit, ex dicendis
deinceps patebit. Ast in fide tamen recepta-
rum traditionum optime sibi constituit primaeua
ista ecclesia. Ita quidem DODWELLVS, paulo
clarius mentem suam prodens. Ad traditionem
enim hisce hominibus cuncta tandem redeunt.
Lubricum profecto fundamentum. Quanquam
non videam, quo pacto traditio hic commode

vrigeri queat, cum primaeuae ecclesiae alia fuerit regiminis ecclesiastici ratio, quam apostolicae, stāte ecclesia Hierosolymitana. Praeterea, institutum aliquod & factum veteris ecclesiae nondum arguit traditionem. Quibus accedit; quod primaeuae huius ecclesiae patres non prorsus inter se consentiant, nobis saltem consensus illorum non manifestus est: quod deinceps demonstrabimus luculenter. Qualis autem ista est tradition, vbi ipsis, ad quos prouocatur, patribus, non satis inter se conuenit?

§. VI. Quod tanto vero conatu scripturam sacram ab hoc certamine remoueat, vir clarissimus, id minime ferendum. Nec rationes, quibus pugnat, id quod cupid, conficiunt. Ponamus tantisper, destructa ecclesia Hierosolymitana, episcopale regimen introductum, adeoque, cum libri canonici noui foederis iam tum omnes conscripti essent, nullam huius rei in iis potuisse inici mentionem: nihil inde tamen sequitur aliud, quam veterem ecclesiam existimasse, in quantum administratio ecclesiae a Deo praescripta non esset, in tantum posse eam mutari. Et sane, facti quidem huius, quod tamen adhuc incertum, nulla debuit in libris canonici

cis scripturae sacrae inici mentio : inde vero rursus non inferendum, ac si iuris quoque non facta mentio fuerit, qualem Deus velit esse administrandi ecclesiam, modum. Mox vero clarissimis scripturae sacrae oraculis euincemus, cum originem regiminis ecclesiastici explicabimus, clarissimam certissimamque normam vt in aliis, ita & in his, in quantum iuris diuini sunt, nobis eam subministrare, ad quam & haec ipsa, quam clarissimus auctor sibi agitandam summis, controversia, quam commodissime exigi queat. Ut nimis profecto liberaliter dictum sit, nullum esse, qui id aperte profiteatur, sacri scriptoris locum. * Sed & regiminis formam, prout generatim de ea constitui quid debeat, diuinae, vt itidem ex sequentibus patebit, tradiderunt litterae : a qua si discessum sequenti aetate, hoc omnino contra Numinis factum esse praescriptum, vt censeamus, par est. Ut vero, quantum donis concessum fuerit spiritus sancti personalibus, quantum locis & officiis; vt ipsa officia, ad minutias vsque definiret, (qui labor iuris canonici interpretibus Pontificiis, eiusmodi ineptis adfuerit, merito reseruatus fuit) & quae alia sunt

* vid. §. XIV. p. 57.

sunt eiusdem commatis , id ne exigi quidem a scriptoribus sacris debebat, de animarum potius salute , quam de clericorum praerogatiua, sollicitis. Hinc etiam sua sponte corruit, quod itidem autumat , apostolis ipsis hanc regiminis ecclesiastici formam ignotam fuisse. Sane ea, quam vir clarissimus fingit , quamque Pontificii comminiscuntur , illis ignota fuit. Ast eam regiminis rationem, quam obseruari Deus voluit, notam illis omnino & perspectam fuisse , tot illorum nos minime dubitare sinunt oracula. Forte autem hoc apostolorum testimonium non adeo firmum certumque est , vt nos de eo valde oporteat esse sollicitos. Ita quidem vir doctissimus haud obscure. * *Vt enim fuisse in scriptis etiam canonice regiminis ecclesiastici in aeternum obseruandi, mentio disertissima , non tamen certiores nos fecisset illa mentio, quam effemus de illis, qui illius meminerant, libris.* Sed vero sine illa mentione, parem haberemus saltem regiminis ab apostolis in ecclesia universa reliqui certitudinem, fortasse etiam maiorem , quam habemus librorum ab apostolis scriptorum. Nam certe , si rationem ducem sequamur , fides librorum ab apostolis editorum testi-

* p. 59.

testimonio nititur proximi ab apostolis seculi. Primo enim ne quidem collectum canone, est sane verisimilimum. Itaque secundi seculi testimonii nitatur oportet, tum primum collectus, & in publicam emissus lucem, canon. Sed vero secundo seculo magis erat exploratum, quam formam regiminis in ecclesiis a se fundatis reliquissent apostoli, quam quos scripsissent libros. Libri testes alii esse non poterant, quam qui ibidem fuissent, ubi etiam apostoli, cum libros elucubrarent. Regiminis testes multae esse poterant ecclesiae, ab apostolis fundatae. &c. Ast librico profecto fundamento niteretur tota religio christiana, si tantum testimonio veteris ecclesiae esset superstructa: quod tamen hic innuere videtur auctor doctissimus. Quia opinione an perniciosius quid excogitari queat, dubito. Hoc enim profecto est, litteras diuinias ideo a Deo profectas credere, quia illi dicunt, de quorum auctoritate plurimae adhuc supersint dubitandi rationes. Evidem de auctore libri ex testimonio veteris ecclesiae, quod non diffitemur, constat: sed si vel maxime hoc non constaret, liber autem reliquos diuinae auctoritatis characteres luculentissime praeferret, omnia tamen, de qui-

D

bus

bus nos eruditret, tam certa forent, ut certitudines luculentissimas, etiam mathematicorum demonstrationes, vincerent. Largiamur ergo, certius constare potuisse de regimine ecclesiastico quam de auctoribus librorum sacrorum, num ideo, quae in his dicuntur, minus certa sunt? Neutquam profecto, cum a diuina auctoritate, non autem ab auctorum notitia, certitudinem omnem libri sacri adipiscantur. Et haec quidem omnia, quae auctor differit, rursus ad factum faltem pertinent, ut constet, quae regiminis ratio tum fuerit. Ast si de iure, diuinaque institutione quaeratur, aut haec non agnoscenda, aut iterum tantum ad diuinis recurrentum est litteras. Quanquam ipse haec non satis discernat, & de iure ipso loqui videatur, dum, *ut enim fuisse*, inquit, *in scriptis etiam canonicis regiminis ecclesiastici IN AETERNUM OBSERVANDI mentio disertissima* &c: Certe ex testimonio ecclesiae constare potuit, quae tum fuerit regiminis ecclesiastici ratio: ast quae regiminis ecclesiastici, *in aeternum obseruandi* ratio esse debeat, id quidem quo pacto ex ecclesiae testimonio constare queat, non video, nisi forte traditio, supra iam explosa, iterum in subsidium vocetur.

§.VII.

§. VII. Ipse equidem DODWELLVS adserit*, quae dissipata ecclesia Hierosolymitana obtinuit regiminis ecclesiastici, rationem, pro mente domini & apostolorum introductam fuisse. Quod facile concesserim, de vera & genuina administratione ecclesiae, quam diuinæ litteræ exhibent. Ast quam DODWELLVS comminiscitur, episcopalem illam, vt ipse quidem eam explicat, sublato primatu Hierosolymitano, introducendam, Christo ac apostolis adprobatam fuisse, adserere non ausim. Nec videtur profecto admodum sibi constare vir doctus, qui antea assuerat, nullum de isto regimine ecclesiastico in scriptura extare locum, nec opus esse, vt eadem ex libris canonicis noui testamenti derivetur. Nec profecto hic de scriptura sacra admodum sollicitus est, cum existimet, sublato primatu Hierosolymitano, non potuisse non eiusmodi, quam comminiscitur, oriri regendae ecclesiae rationem. Menti tamen seruatoris eam conuenientem fuisse, probare admittitur ex Ioannis IV. 21. vbi Christus ad mulierem Samaritanam: *crede mihi, mulier, veniet hora, cum neque in hoc monte, neque Hierosolymis*

* §. XVII. p. 71. seqq.

mis adorabitis patrem meum. Quod profecto,
 si dicendum quod res est, paulo longius mihi
 petitum videtur. Neque enim de ordine ecclae-
 siastico, aut regimine, loquitur hic seruator, sed
 de adoratione, quae fit *ἐν πνεύματι νοῦ αὐτοῦ*
v. 23. quae ubiuis locorum, etiam ubi episcopi-
 ne auditum quidem nomen est, recte peragitur,
 de cultu interno, ubique recte instituendo, post-
 quam ille externus veteris testamenti, a Deo
 olim praceptor, sublatus esset. Ad apostolos
 quod attinet, superfuisse adhuc Ioannem, & ali-
 os viros apostolicos ea aetate putat, cum ista re-
 giminis ecclesiastici forma introduceretur, quiue
 adeo consuli potuerint, an menti sententiaeque
 domini ea esset conueniens, immo qui haud
 dubio reprehensuri fuissent istius mutationis au-
 ctores, si quidem voluntati diuinae eam repugna-
 re intellexissent. Ast haec superflua sunt. De
 vero enim & diuinitus instituto ecclesiae regimi-
 ne, eos consulere non necesse erat: reliqua fru-
 stra supponuntur, nec adhuc euicta sunt, & sa-
 tis comprobata.

§. VIII. Quod vero supra *innui, extra-
 ditione veteris ecclesiae non posse certum de re-
 gi-

gimine ecclesiae argumentum deponi, si ab iis,
 quae in scriptura sacra hac de re constituta sunt,
 discesseris, id paulo nunc vberius nobis edisse-
 rendum est. Constat, quantis animorum mo-
 tibus inter viros eruditos disputatum sit, de epi-
 scoporum & presbyterorum in ecclesiae regimine
 auctoritate, quibusdam pro his, aliis pro illis, pu-
 gnantibus. Iam si veterum consulamus testi-
 monia, aequi incertos ambiguosque & haec
 nos relinquunt. Sunt enim ex veteribus, qui
 episcoporum prae presbyteris ξεχλω̄ haud ob-
 scure indicant; alii contra discrimen inter pres-
 byteros & episcopos nullum admittere videntur.
 Sic admodum episcopis fauent, quae hinc inde
 IGNATIUS habet. Namque in epistola ad Tral-
 lianos, * τῷ δὲ Πινόνῳ, inquit, ὕπαρχος εἰς
 ὡς τῷ Κυρίῳ. αὐτὸς γὰρ αὐτοῦντινές τῶν
 Ψυχῶν ὑμῶν, ὡς λόγοι θυρδάσων Θεῷ. Epi-
 scopo subiecti estote velut domino: ipse enim per-
 uigilat pro animabus vestris, quasi rationem redi-
 turus Deo. Dicit equidem deinceps: sed &
 presbyterio subiecti estote: sed ut discrimen inter
 episcopos & presbyteros ostenderet, statim ad-

D 3 dit:

* n. II. p. m. 63.

35 (30) 52

dit: ut apostolis Iesu Christi. Mox vero presbyteros vicarios Iesu Christi, sed episcopum typum Dei Patris omnium, vocat: ὑμᾶς δὲ ἐντέκετε ἀντες ὡς Χειρὸν Ἰησοῦ ς φυλακές εἰσι, τὸν τύπον. ὡς καὶ ὁ Ἀπόστολος τῶν ὄλων τύπος ὑπάρχει. At vos reuerentini illos, tanquam Christum Iesum, cuius vicarii sunt, ut επίσκοπος typus Dei Patris omnium est. In epistola vero ad Magnesianos in eo totus est IGNATIUS ut presbyterorum & episcopi discrimen, & huius prae illis ἔξοχως inculcit. Sed επί vos, inquit *, decet non contemnere aetatem episcopi, ἀλλὰ πατέρα γνώμων Θεος πατέρος πατέρων ἐντεκτέων αὐτῷ διπονέμενον, verum iuxta Dei Patris arbitrium omnem imperti-ri illi reuerentiam, quemadmodum noui facere sanctos presbyteros. Ergo & presbyteros inter eos refert, qui omnem reuerentiam episcopo exhibit. Postquam autem latius edisseruisset, cur ob aetatem contempnendus non sit episcopus, & alia id genus addidisset, rursus, παραγωγῶν, inquit, ** τὸν ὄμονον Θεος πατέρα πάντα πεπάτειν περιαπήμενος τὸν Ἀπόστολον εἰς τόπον

Θεος

* n. III. p. m. 56. ** n. VI. p. 57.

Θεος, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίας τῶν ἀποσόλων, καὶ τῶν διακόνων, τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησὸς Χειρός. Horitor, ut studentis in Dei concordia omnia agere, episcopo praesidente Dei loco, presbyteris loco senatus apostolici, Diaconis mibi suauissimis, quibus commissum est mysterium Iesu Christi. Hisce alia longe plura patrum, CLEMENTIS ALEXANDRINI, ORIGENIS, TERTULLIANI, ISIDORI PELVSIOTAE; aliorumque addere testimonia possem, quae proferri passim ab episcopatus defensoribus solent, & prolata etiam partim sunt a doctissimo viro GUILIELMO BEVEREGIO, * si hoc nunc agerem ex instituto.

§. IX. Nihilo fecius non desunt quoque sectis sentientibus, quae pro episcoporum & presbyterorum paritate in medium adferant. Luculentum profecto admodum est testimonium CLEMENTIS ROMANI, in priori ad Corinthios epistola, ** quam genuinam esse inter eruditos constat. παραγγελίας ἐν λαζόντες, καὶ πληροφορη-

* in codice canon. ecclesiae primitivae illustratio cap. XI^o
add. qui ex instituto hoc argumentum tractat
Walo Messalintus, vel potius Claudio Salmasius;
de episcopis & presbyteris.

** n. XLII. p. m. 170.

Φρεγεύντες διὰ τῆς ἀναστάσεως τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησῷ χριστῷ, καὶ πιστεύοντες τῷ λόγῳ τῷ Θεῷ, μετὰ πληροφορίας πνεύματος ἀγίου, ἐξῆλθον ἐναγγελιζόμενοι τὴν Βασιλείαν τῷ Θεῷ μέλειν ἐρχεόμενοι κατὰ χώρας ὅντες καὶ πόλεις αἱρετοῦσαί τις καθίσαντες τὰς ἀπαρχὰς ἀντιῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ Διακόνους τῶν μεθόντων πιστεύειν· καὶ τῷτο γε παινῶντες ἐν γάρ ἐπὶ πολλῶν γεόντων ἐγέγραπτο ἀεὶ ἀποκόπων καὶ Διακόνων ἔτος γδὲ πτὸς λέγει ἡ γραφὴ κατατίθεται τῷ ἀποκόπων ἀντῶν ἐν δικαιοσύνῃ καὶ τὰς Διακόνους ἀντιῶν ἐν πίστει.

Itaque acceptis mandatis et certo persuasi per resurrectionem domini nostri Iesu Christi, et infide confirmati per verbum Dei, cum sancti Spiritus plenitudine ac securitate, egressi sunt, adnuntiantes, adventurum esse regnum Dei. Praedicantes igitur, per regiones ac urbes, primitias eorum spiritu cum probassent, in episcopos et diaconos, eorum qui credituri erant, constituerunt. Neque haec noue: a multis enim temporibus de episcopis et diaconis scriptum fuerat: sic enim alicubi dicit scriptura: constituam episcopos eorum iniustitia et diaconos eorum in fide. Es. LX. 17. Clarissime his docet CLEMENS, vnum solum supra diaconos ab apostolis constitutum esse ordinem, qui est episcoporum, seu presbyterorum. Presbyteros enim si ordine & dignitate distinctos ab episco-

episcopis credidisset, illorum utique eum iniicere hic mentionem oportuisset, vbi ex instituto de constituto ab apostolis ordine sacro verba facit. Non equidem nescio, quid ad eludendum CLEMENTIS hocce testimonium, agant CO-TELERIVS, * BEVERREGIVS **, cum reliquis episcopatus defensoribus, & quam se in omnes vertant partes: sed scio quoque, quid illis reponi queat, & soleat. Nec CLEMENS modo episcoporum & presbyterorum paritati suffragatur: suffragantur & IRENAEVS, & THEODORETUS, & HIERONYMVS, THEOPHYLACTVS, & alii plures, quam luculentissime ***. Iam ergo iactent antiquitatis admiratores, consensum veteris ecclesiae, prouocent ad traditiones, producant testimonia doctorum, & videant, num in his omnibus inuenire queant, vbi consistant, tutoque figant pedem. In tanta incertitudine, & discrepantium sententiarum pugna, quis sibi certitudinem pollicetur? Nobis vero certior norma, tutior regula adest, scriptura sacra, cuius si infistamus vestigiis, nec a rectissimo hoc yinquam deflectamus tramite, nec errores nobis metuent.

E di

* in not. ad Clementis l.c. p. 170. ** in codice can. eccles. pri-
mit. illustrato cap. XI. §. X. *** add. Banage L' histoire
de l' Eglise lib. I. cap. III.

di sunt, nec anfractus, per quos in auia & lubri-
ca deducamur.

§. X. Hoc ergo ut nunc eo luculentius
conferet, quae regiminis ecclesiastici secundum
diuinarum litterarum praescriptum, origo & ra-
tio sit, paucis exponemus. Quo pacto simul,
ipso velut facto refelletur sententia DODWELLI,
scripturam sacram nihil certi hac in re definire.
Ita vero hac de re pronuntiat Paulus apostolus:
Et alios statuit Deus in ecclesia primum apostolos,
deinde prophetas, tertio doctores, deinde porten-
ta, deinde sanationum dotes, adminicula, guber-
nationes, genera linguarum. Numquid omnes
sunt apostoli? numquid omnes prophetae? num-
quid omnes doctores? numquid omnes portenti-
fici? numquid omnes habent sanationum dotes?
numquid omnes linguis loquuntur? numquid o-
mnes interpretantur? Affectate sane praestan-
tissimas quasque dotes. &c. I. Cor. XII. 28. seqq.
Complectitur hic summatim apostolus totam
velut hierarchiam, quam vocant, regiminisque
ecclesiastici rationem indolemque quam accura-
tissime nos condocet. Nimirum primo ordi-
nem quendam, officiorum certorum gradibus di-
stinctum, in ecclesia ab ipso Deo constitutum
do-

docet, Deum eius auctorem prodens : *μὲν ἔτεο ὁ Θεὸς &c.* Par enim erat ut Deus hac ratione, pro sua benignitate, ecclesiae saluti prospiceret consuleretque, quae nec conseruari, nec propagari commode, sine hominum diuino huic operi inseruientium, ministerio, poterat. Ut adeo eo minus ab hocce ordine nobis discedendum sit, quem ab ipso Deo praescriptum diuinæ testantur litterae : sed qui nec aliunde, quam ex diuinis litteris constat, aut constare poterat.

§. XI. Deinde ipsi illi gradus a Deo constituti, hic notandi sunt. Horum tres velut classes constituit apostolus : quarum prima est *do-centium*, altera, *miracula patrantium*, tertia, *a-lia munia administrantium*. Docentium ideo primo loco meminit, non quod illorum aliquod in reliquos veluti sit imperium, aut civilis quae-dam *ἐξοχὴ*, sed quia ipsa illa functio praestan-tissima est ob utilitatem. Doctrina enim coe-lestis ac salutaris, per quam homines ad salu-tem perducuntur, caput velut causae est, & pro-pter quam reliqua etiam dona mortalibus a Deo conceduntur. Sed docentium iterum non unum est genus. Sunt illi vel *extraordinarii*, certo

E 2 tan-

tantum tempore a Deo excitati & constituti, vel ordinarii, quorum nunquam defitui ecclesia opera potest. Inter illos apostoli referuntur, atque prophetae: quorum illi diuini spiritus afflati, extra erroris periculum constituti, totius orbis extitere doctores, & fundamenta ecclesiarum omnium inter gentes iecere, vnde & duodecim ecclesiae fundamenta duodecim apostolorum nominibus insignita, leguntur *Apocal. XXI. 14.* Et ideo etiam merito primum in ordine sacro occupant locum, ob muneric vi delicit praestantiam, ex utilitate laboris vnicce aestimandam. His adiunguntur prophetae, quorum aliqui itidem extitere in novo testamento; *Acto. XI. 17. XVIII. 1. XIV. 32.* & alibi; apostolis ob reuelationem, quam immediate a Deo acceperunt, equidem comparandi, sed iis tamen postponendi, quod ista reuelatio temporaria saltem esset, non vero perennis, vt istud apostolis diuinitus in propaganda salutari doctrina concessum *ἀναμετρητικός* donum, quale in vniuersi orbis doctoribus plane necessarium erat. Vtrique autem, & apostoli & prophetae extraordinarii erant doctores, quorum certo tantum tempore necessarium erat munus. Ecclesia

clesia enim noui testamenti iam plantata , doctrinaque coelesti satis iam confirmata & propagata, ad hunc quidem finem non amplius opus erat apostolis atque prophetis. Tum vero sequebantur διδάσκαλοι, ordinarii doctores, qui & alio nomine *pastores, episcopi & presbiteri*, vocantur ; & quorum praecipuum sane munus erat, docere alios & erudire ad pietatem, quorsum & ea omnia spectant quae necessaria erant, vt & doctorum rite fungi officio , & doctrinae etiam in auditoribus suis percipere fructus possent. Et generatim quidem omnes qui docent, aliosque erudiunt, hic designat apostolus. Namque vt cum HVGONE GROTI^O , * eos saltem intelligamus, qui eruditione eminentes , multis ecclesiis instituendis praeerant, qualis Titus fuerit in Graecia , nulla nos cogit necessitas. Altera ergo nunc sequitur classis ab apostolo designata , eorum nimirum, qui miracula patrant, virtutes insignes edere apti, donaque sanationum pollentes. Horum rursus extraordinaria censeri debet opera , certo saltem tempore definita, nec ad conseruandam eccl-

* ad b. l.

siam necessaria. Vnde facile intelligitur, cur doctoribus postponantur, cum donum quantumuis excellens, splendidumque, minoris tamen merito fiat, doctrinae comparatum, quae sola fidem excitare, souere, alereque apta est, per quam aeternam demum salutem homines consequuntur. Tandem vero in tertia classe apostolus primo commemorat ἀντιλαμψεις, qua voce HVGO quidem GROTIUS significari putat praefides presbyterii, qui populum commonefacere officii sui solebant, ideoque παρακαλεστες Rom. XII. 8. dicuntur. Sed sine ratione, cum vel ipso fatente, ἀντιλαμβάνεσθαι nihil aliud significet, quam curam alicuius gerere. Adeoque, non video, quid obstet, cur non inter intelligi queant, qui aegrotis opitulantur. Quemadmodum Paulus apostolus seniores ecclesiae Ephesinae iubet ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀδελέντων, adiuuare infirmos vel aegros. Actor. XX. 35. Sequuntur κυβερνήσεις, gubernationes, seu administrationes & dispensationes rerum temporalium, quae, ut pauperum quoque cura haberetur, in ecclesia erant necessariae. Aegrotorum namque curae, recte quoque adiungitur

gitur cura pauperum. Namque ut κυβερνήσει
 illam gubernationem, quam episcopis ac pres-
 byteris nonnulli tribuunt, interpretemur, nulla
 nos cogit necessitas. Quibus omnibus denique
 γένη γλωσσῶν subiungit apostolus, extraordinariū
 equidem itidem donum, & certo sal-
 tem tempore definitum, idem tamen nonaeque,
 ac priora necessarium ad ecclesiae conserua-
 tionem, adeoque & ultimo loco positum. Vnde
 ab eo si discesseris, ultima haecce classis ea com-
 pletetur munera, quae diaconis fuere propria,
 licet nec seniores aut episcopi ea subterfugerent,
 modo in magis necessariis, per ea non impediren-
 tur. conf. *Act. VI. 2.*

§. XII. Ex quibus omnibus nunc porro
 consequitur, ordinem istum diuinitus in ecclesia
 constitutum, tantum ex necessitate & utilitate ec-
 clesiae esse metendum. Nimirum cum coetus
 ille credentium vnamque doctrinam profiten-
 tium eo maxime spectet, ut per veram fidem
 ad salutem homines perducantur; omnia eo
 saltem comparata esse debuerunt, ut finis hicce
 obtineri posset. Ergo & illorum, qui huic coe-
 tui praeficiendi erant, ita saltem comparata de-
 bebat esse ratio, ut verbi diuini praedicatione,
 reli-

reliquarumque rerum sacrarum administratione
 ad salutem perducerentur mortales. Paucis:
 doctores esse debebant: & doctorum officio
 totum regimen ecclesiae continetur & circum-
 scribitur. Officium autem veri doctoris cum
 sit, & erudire alios ad pietatem, & necessitati-
 bus etiam suorum, quantum fieri potest, con-
 sulere, pauperum sane atque aegrotorum cura
 ad eum etiam praecipua quadam ratione spe-
 etat. Sed cum omnibus hisce muneribus non
 semper sufficient, e re ecclesiae tum omnino est,
 aliis praestationes minoris momenti delegare:
 quod in veteri ecclesia apostoli fecerunt, adiun-
 gendo sibi diaconos, qui pauperum curam ge-
 rerent: quorum deinceps aliae ecclesiae recte
 secutae sunt exemplum. Iam ergo si de toto
 hocce negotio recte pronuntiandum, ab *essen-
 tialibus* sedulo distingueda sunt *accidentalia*,
 (liceat enim nobis more in scholis recepto lo-
 qui) ab *ordinariis*, *extraordinaria*. Ad illare-
 fertur munus *doctorum* & *diaconorum*: quod
 ad ecclesiae conseruationem adeo necessarium
 est, vt sine illo conseruari nequeat, diuinaque
 etiam ideo auctoritate est constitutum. Praeter-
 ea huc & ordo ille ex praestationum nobilitate
 metien-

metiendus, pertinet, ut primus omnino locus il-
lis tribuatur, quorum & vtilior ecclesiae & praef-
stabilior est opera. Hinc cum extraordinario-
rum hodie non amplius habeatur, nec haberi
queat ratio, in ordinariis ita versandum, ut quod
caput causae est, officium doctorum retineamus.
A quo cum vetus ecclesia sciunxerit officium
diaconorum, proderit eius exemplum ad imita-
tionem; nec tamen hoc necessarium prorsus
fuerit, cum ad ipsam regiminis ecclesiastici es-
sentiam hoc non pertineat. Si enim apostoli
vtroque & docendi, & pauperum necessitatibus
inseruendi munere simul fungi potuissent, non
sane constituisserent diaconos. Hoc autem dum
fecerunt, ideo, quod e re ecclesiae esset, exem-
plum reliquerunt, posse & hodie in *accidenta-
libus*, nonnulla circa ecclesiae regimen mutari,
aut aliter constitui, si forte ecclesiae id ita postu-
lauerit necessitas. Praererea, ut Paulus apo-
stolus ordinem, pro vtilitate praefestationum,
obseruauit, ita & dubium non est, si e re eccle-
siae sit, quaedam in his mutare, diuersasque
ministrorum functiones constituere, nihil ob-
stare, quo minus & hodie similis obseruetur or-
do, ut primo loco constituantur quorum aut

F

nobis

nobilior est opera, aut quorum maior debet esse auctoritas, tum sequantur reliqui. Sed in his omnibus rursus semper ad finem est resipiendum, qui est aedificatio ecclesiae, ut & omnes isti ministrorum ordines in veteri ecclesia, ab apostolo commemorati huc spectabant. Munera enim aut functiones constituere, aut ordinem introducere, qui huc non spectaret, id vero esset, ecclesiae naturam indolemque profus ignorare. Multo autem minus *imperium*, aliquid seu *iurisdictio* quam cum Pontificiis Anglicani sibi vindicant episcopi, hic locum habere potest. Praestantissimum enim sacrorum ministrorum ordinem apostolis, *doctorum*, commemorat. Iam vero, ut *doctoris & imperantis* multis modis distat officium, ita qui vtrumque permiscent, & res toto coelo diuer-
fas confundunt, & ditium seruatoris manda-
tum, apostolis suis ne se imperaturos aliis in
animum inducerent, serio iniungentis, insuper
habent, & multis maximisque incommodis &
periculis & ecclesiam & rem publicam exponunt.

§, XIII. Non minus evidens est, quod in epistola ad *Ephes. IV.ii.* extat hac de re testimonium. Atque is (Christus) *partim apostolos, partim prophetas, partim euangelistas, partim pasto-*

pastores & magistros (sive doctores) dedit. Plane enim sibi constat apostolus, cumque primarium ecclesiae ordinem videlicet *docentium*, hic tantum commemoret, rursus primo loco *extraordinariorum*, tum *ordinariorum* iniicit mentionem. Ad priorem classem itidem refert *apostolos*, & *prophetas*, quibus hoc loco addit *euangelistas*, quos forte in epistola ad Corinthios sub *apostolorum* simul nomine comprehenderat, quod euangelistarum ad *apostolorum* quodammodo accederet munus. Non equidem de euangelistarum munere omnes idem sentiunt. Praeter quatuor euangeliorum scriptores in scriptura sacra *Actor. XXI. 8.* commemoratur Philippus Ἐβαγγελιστής, qui & unus e septem diaconis erat. Et Timotheus iubetur opus boni euangelistae exsequi. *II. Tim. IV. 5.* Sed & septuaginta discipulos eiusmodi euangelistas fuisse nonnulli perhibent, qui seruierint apostolis in praedicando euangelio, quiue non vbiue ut apostoli, sed hinc inde praedicauerint, quales etiam fuerint Priscilla & Aquila, itemque S. Stephanus & Apollo. Mihi illorum verosimilis admodum videtur sententia, qui euangelistarum nomine comites quosdam apostolorum intelligunt, quos illi sibi ad levandos labores adiungent,

xerint, quales fuerint Timotheus, Philippus, Titus, Sosthenes, Sylvanus, Tychicus, Erastus, Epaphras, *II. Tim. IV. 12.* *Actor. XIX. 22.* qua ratione & Timotheus Pauli σύνεγγος, in euangelio dicitur, *I. Thess. III. 2.* *Rom. XVI. 21.* *I. Cor. XVI. 10.* * Quicquid huius sit, doctoribus veteris ecclesiae, & quidem extraordinariis euangelistas quoque annumerandos esse, res ipsa docet. A *pastoribus* autem, quo nomine haud dubio presbyteros seu episcopos designat, dum τές διδασκάλας seu doctores discernit, nonnulli quidem doctorum nomine eos venire existimant, qui scholis, seu erudiendae iuuentuti fure praefecti, cum pastorum contra nomine illi veniant, qui ipsi ecclesiae praefuerunt. Sed horum non firma satis ratione mihi niti sententia videtur. Dubito enim an ea iam aetate apud christianos aut scholae fuerint, aut doctores erudiendae iuuentuti praefecti. Potius itaque συναρμηκῶς haec verba ponni existimo, ut eosdem, quos ποιμένας dixerat Paulus apostolus, etiam διδασκάλας adpellit. Eoque, ni fallor, facit illud

* add. Hammondus ex editione Clerici ad *Ephes. IV. 11. it.*
Grotius, Calouiusque ad *I. Cor. XII. 25.*

§§ (45) §§

illud PAVLINI apud AVGVSTINV M: * in omnibus
bis diuersis nominibus simile & prope vnum do-
ctrinae officium video fuisse tractatum.

§. XIV. Iam , cum praeerunte scriptura sa-
cra voluntatem diuinam de regimine ecclesiasti-
coedocti simus , primitiuae quoque ecclesiae
exemplum considerandum est , vt origo status
hierarchici eo rectius patescat. Cum enim apo-
stoli ecclesiarum , hinc inde a se plantatarum sa-
luti consulere quam rectissime vellent , iuxta
mandati diuini normam doctores hinc inde con-
stituebant , qui voce a Iudeis ad Christianos
translata , presbyteri adpellitabantur , qua non
semper aetas , sed dignitas quoque interdum si-
gnificabatur , ** itemque , quod ad mores vi-
tamque ceterorum , qui Christo nomen de-
derunt , attendere debebant , episcopi . A docen-
di enim munere non alienum erat illud inspe-
ctionis munus ; immo necessario coniunctum ,
cum qui alium docet & ad sapientiam erudit ,
id quoque agere debeat , vt attendat ad mores ,
discipiatque , qua ratione monita & praecepta ,

** ep. LVIII.

** v. Seldenus in Euychii origines Alexandrinas num. XX.
& de Synedriis veter. ebr. lib. I. cap. XIV.

ad vitam transferantur. Recte THEODORVS
BALSAMON *. τὸ ἐπίσκοπικὸν ὄξωμα, διδα-
σκαλικόν ἔστι, καὶ πᾶς ἐπίσκοπος ὁ φέλει δι-
δάσκει τὸν λαὸν τὰ ἐνσεβῆ δόγματα. καὶ τὴν
τῶν ὁρθοδόξων κατάστασιν σκοπὸς γὰς τίθεται
χάρει τῷ ἐπίσκοπεῖν τὰ ὑπὸ τὸν λαὸν αὐτὸς
κατεύθειν καὶ ἐπίσκοπος κέκληται. Dignitas
episcopalis, docendi munus includit: Et omnis epi-
scopus debet populum docere pia dogmata, Et or-
thodoxorum constitutionem: Speculator enim con-
stituitur, ut speculetur populum sibi commissum:
hinc etiam ἐπίσκοπος speculator vocatus est. Nec
enim profecto aliud, quam vocis inter episco-
pos & presbyteros erat discrimen, quidquid et-
iam alii dicant. ** Sic Actor. XX. Paulus apo-
stolus presbyteros, quos Epheso euocari cura-
uerat, v. 17. sic adloquitur v. 28. Attendite vo-
bis Et uniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus
posuit

* ad can. apost. LVIII. p. 263.

** Praeter multos alios eruditae hoc docet Ioannes Vorstius, in exercitat- de desideribus episcopalib. pri-
mariis in veteri ecclesia, denuo edita a Thoma Crenio fascie I. exercitat. theolog. historic. p. 73. ad quem locum Crenius quoque ipse magno numero addu-
cit, qui idem argumentum tractarunt.

posuit episcopos, ad regendam ecclesiam. Namque non tantum, quos antea *presbyteros* vocauit, deinceps *episcopos* adpellitat, sed omnibus etiam ut commune nomen, ita & commune officium tribuit, regere ecclesiam. Pari ratione & Petrus apostolus, *presbyteros*, inquit, qui inter vos sunt, obsecro ego Petrus, compresbyter ($\sigmaυμπρεσβύτερος$), pascite gregem, qui in vobis est, I. ep. V. 1.2. Quo ipso duplici rursus argumento episcoporum & presbyterorum paritatem confirmat. Namque, cum ex sententia Romanenium episcopus fuerit Petrus, etiam *presbyteros*, quos adloquitur, *episcopos* fuisse indicat, dum se illorum vocat $\sigmaυμπρεσβύτερον$. Deinde, quod ceteroquin extra controvrsiam, episcoporum munus est, pascere gregem, id sine ambagibus presbyteris hic tribuit: *pascite gregem, qui in vobis est.* Et rursus Paulus apostolus, cum iussisset Titum oppidatim constitueret *presbyteros* idoneos, qui essent inculpati, tanquam dispensatores rerum diuinarum, non luxu infames aut contumaces, Tit. I. 4. statim subiicit rationem, quod tales deceat esse *episcopos*; ut reliqua nunc taceam, non minus luculenta,

etiam

etiam prolata ab aliis, praefertim a **WALONE**
MESSALINO *, sub quo nomine **CLAVDIVM SAL-**
MASIVM, latitare constat. Ut profecto mirum
 sit, contrariam sententiam, de episcoporum pae-
 presbyteris praerogatiua, tot viris ingenio & do-
 ctrina praestantibus **, se adprobare potuisse.

§. XV. Ergo vnicus erat in veteri ecclesia
 ordo docentium, presbyterorum scilicet seu epi-
 scoporum, cui in ecclesia Hierosolymitana, vt
 dictum, ordo ministrantium seu diaconorum
 adiungebatur. Quod deinceps & aliae eccle-
 siae secutae sunt exemplum. Sed hic non diu
 admodum durauit status. Namque cum in
 qualibet ecclesia particulari plerumque plures
 essent presbyteri, non poterant non speciem col-
 legii cuiusdam constituere. Collegii autem cum
 haec natura indeolesue sit, vt inter collegas ali-
 quis ordo standi, sedendi, sententiasque feren-
 di ob-

* tract. de episcopis & presbyteris per VI. capita.

** Quorum plurimi fuerunt, inter status hierarchici
 & episcopalnis in Anglia, defensores; legi tamen
 prae ceteris merentur Io. Prideaux Wigorniensis
 episcopus, fastic. IV. quaest. II. app. f. 639. seqq. it.
 Hammondus de iuribus episcopat. part. I. §. VIII. add.
 Iosephus Hallus Episc. part. I. cap. VIII. & Hadrianus
 Sarauias de diversis minister. eccles. gradibus. lib. I. cap.
 XX. XXI. seqq.

di obseruetur, dubitari nequit, quin in sacris his collegiis presbyterorum, aliquis praeter ceteris, ob aetatem, aut singulares & exquisitas virtutes, eminuerit, qui consulendo, monendo, hormando, proponendo, reliquis praecluerit, suffragia in causis dubiis collegerit, auctoritate sua cuncta moderatus fuerit, & quae decreta fuerint, executioni dare allaborauerit. Pari ratione, ac in conciliis, quae ex episcopis & presbyteris constabant, aliquando praefes erat ille, qui aetate, ait industria, atque donis diuinitus confessis, praefestantior erat *. Rem egregie exprimit auctor *quaestionum veteris & noui testamenti* **, dum, *quid est*, inquit, *episcopus, nisi primus presbyter, hoc est, summus sacerdos*. Erat tamen illa vnius in collegio presbyterorum praereliquis eminentia, primis antiquissimisque temporibus & τημὴ ἀλλὰ πένοντα τῶν αἰχοπένων, uti CHRYSTOMVS *** loquitur. Sed mox, cum a prima simplicitate, morumque puritate, descitum esset, potestatis etiam accessiones variae factae

G sunt

* Exemplum vide apud Eusebium *H. E. libr. V. cap. XXIII.* add. Henricus Valesius *ad h. l.*

** *quaest. CL.*

*** *comment. in cap. I. Actor.*

55 (50) 56

sunt ad eam, quam primi isti in ordine presbyterorum, obtinebant, auctoritatem *. Idque tum ob ambitionem illorum, qui imperare aliis gaudebant, tum ob presbyterorum vnius eiusdemque collegii schismata & contentiones, quibus non aliter obuiam iri poterat, quam potestate quadam *avaynastum* primis in ordine concessis. Haec est verosimillima episcopatus origo, quam suo etiam calculo comprobatur HIERONYMVS. In fragmento enim epistolae ad Etiagrium episcopum, quod &c in iure canonico extat, * primo nullum diuinitus constitutum inter episcopos & presbyteros discriminem, probat: *Legimus in Esaiā: fatuus fatuus loquitur.* Audio quendam in tantam erupisse recordiam, ut diaconos presbyteris, id est, episcopis antefiret. Nam cum apostolus perspicue doceat, eosdem esse presbyteros, quos episcopos, quid patitur mensarum & viduarum minister, ut supra eos tumidus se efferrat, ad quorum preces Christi corpus

* add. omnino Ioannes Vorstius, exercit. de sedibus episcopatib. primar. in veteri eccl. §. X. ii. §. XVII. vbi & docet quo pacto & nomen episcopi omnibus presbyteris commune, tandem seniori, vel praecipuo inter eos, proprium factum sit.

¶ *e. legimus dist. XCIII.*

33 (1) 33

pus sanguisque conficitur? Quaeris auctorita-
tem? Audi testimonium. Paulus & Timotheus
serui Christi Iesu omnibus sanctis qui sunt Philip-
pis, cum episcopis & diaconis. Vis & aliud ex-
emplum? in actis apostolorum, ad unius ecclesiae
sacerdotes ita Paulus loquitur: Attendite vobis
&c. Ac ne quis contentiose in una ecclesia plures
episcopos fuisse contendat, audiat & aliud tes-
timonium, in quo manifestissime comprobatur, eun-
dem esse episcopum atque presbyterum: Propter
hoc reliqui te in Crête, &c. & ad Timotheum:
Noli negligere gratiam &c. Sed & Petrus in pri-
ma epistola, presbyteros, inquit, qui in vobis sunt,
precor ego compresbyter &c. Quod quidem graece
significantius dicitur: ἐπισκόποις id est, super-
intendentes, unde & nomen episcopi tractum est.
Paruā tibi videntur tantorum virorum testimonia?
Clangat tuba euangelica, filius tonitruī, quem
Iesus plurimum amavit, qui de pectore saluato-
ris doctrinarum fluenta potauit: Presbyter ele-
etiae dominae, & filiis eius, quos ego in veritate
diligo. Et in alia epistola: Presbyter Caio cha-
risimo, quem ego in veritate diligo. Quod au-
tem postea unus electus est, qui ceteris praeponen-
etur, in schismatis remedium factum est, ne,

vnusquisque ad se trahens Christi ecclesiam rum-
peret. Nam & Alexandriae a Marco euangeli-
sta vsque ad Heraclam & Dionysium episcopos
presbyteri semper unum ex se electum, in excel-
siori gradu collocatum, episcopum nominabant:
quomodo si exercitus sibi imperatorem faciat, aut
diaconi eligant de se, quem industrium nouerint,
& archidiaconum nuncupent. Quid enim facit,
excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non
faciat? Tandemque concludit: Presbyter &
episcopus aliud aetatis, aliud dignitatis est nomen.
Vnde & ad Titum & Timotheum de ordinatione
episcopi & diaconi dicitur: de presbyteris omnino
reticetur, quia in episcopo & presbyter continetur.
Nihil aut luculentius, aut ad nostram sententiam
accommodatius dici poterat. Indolemque in-
genii humani, & ecclesiae, quae olim fuit, ra-
tionem si consideres, longe hoc, quod diximus,
est verosimillimum. Sed constat sibi HIERO-
NYMVS, & in commentario in epistolam ad Ti-
tum, idem confirmat, quem eius locum itidem
refert GRATIANVS*. Idem, inquit, est presby-
ter, qui & episcopus, & antequam diaboli instin-
ctu, studia in religione fierent, & diceretur in po-
pulis,

* c. olim dist. XCIV.

pulis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, & schismatum semina tolerentur. &c. Quibus cum plura addidisset, ad probandum, a presbyteris in primitiua ecclesia non fuisse distinctos episcopos, concludit tandem, consuetudine (cuius occasionem exposuimus) magis, quam dispositionis dominicae veritate, episcopos presbyteris esse maiores. * Nec

G 3

dissen-

* Hanc suam sententiam, & alibi declarat Hieronymus. Fecitque omnino iugenua hacce confessione sua, vt quibusdam Romanensium haereseos suspectus sit. Namque Michael Medina lib. de favor. hom. orig. & continent. cap. V. Arianum eum accusare non dubitauit erroris, fatente Bellarmino lib. de Clericis cap. XV. Sed ipse Aerius an haereticis annumerandus sit, disceptari forte adhuc in vtramque partem posfit. Sane ab haeresi eum absoluit Lambertus Danaeus ad Augustin. de haer. cap. LIII. Nec errauit vtique in hoc saltem capite, si iure diuino nullum inter episcopum & presbyterum intercedere discrimen docuit; quae tamen eius fuisse videtur sententia, si accuratius consideremus, quae hac de re tradit Epiphanius haer. LXXV. Nec adeo vitio Hieronymo. verii potuit, quod ean-

dissentit IOANNES CHRYSOSTOMVS. Ratiō-
nem enim redditurus, cur apostolus *I. Tim. III.*
ab episcopis illico ad diaconos transeat, omissō
intermedio ordine presbyterorum, cum tamen
illi constitutum sit in omnibus ordinibus sacris
constitutos erudire, eosque sui admonere offi-
cii, haec adfert verba : *Postquam de episcopis*
diffe-

dem cum Aerio sententiam defenderit, veram quip-
pe, & diuinae institutioni, ac moribus antiquae ecclesiae
consentientem. Nihilosecius, sunt, qui aliquod in-
ter Hieronymum & Aerium in hoc capite discrimen
sibi inuenisse videntur, non tam qua ipsam senten-
tiam, quam qua modum eam aut proponendi, aut
defendendi. Aerius namque, vt iſti quidem autu-
mant, veterem morem ex aeuo apostolico reuocan-
dum, presbyteri & episcopi discrimen tollendum, cen-
sebat; cum Hieronymus contra, ferenda, quae non
sine causa ab ecclesia constituta essent, arbitraretur.
Aerius ob disparitatem episcoporum & presbytero-
rum, moribus quippe apostolicis contrariam, ab ec-
clesia diuortium fecit, turbasque & schisma excitauit,
cum Hieronymus contra episcoporum prae presbyte-
ris ἐξοχὴν non aegre ferret, immo in schismatis
remedium hanc illis concessam fateretur, et si simul
iure diuino pares esse episcopos & presbyteros, a-
gnosceret. Accedebat, quod Aerius ecclesiam da-
mnabat, ob hanc disparitatem, eamque grauter peccas-
te contendebat, qua in re securus sentiebat Hierony-
mus. *Conf. Ioachimi Hildebrandi discussio haeresium Ae-*
rii, quas Protestantibus Pontificii impingunt. Et haec ipsa,

differuit, eorumque officium peculiari charactere, definiuit, dicens, quidnam eos habere, a quibus item abstinere oporteat > omisso presbyterorum ordine, ad diaconorum officia transit. Cur hoc quaeſo? ὃν τὸ πολὺ τὸ μέσον, quia non multum intereft (inter ordinem ſcilicet epifcoporum & presbyterorum.) Nam & presbyteri adſumti ſunt ad docendum populum, & ad praefecturam ecclesiae: ideoque quae de epifcoporum ordine dixit, etiam presbyterorum ordini congruunt. So-
la enim ordinatione ſupra eos adſcenderunt, (ergo

facti

quae Hieronymi fuit, noſtræ quoque ecclesiae hac de re eft ſententia. Quare ſi haereticus Aërius fu-
it, fruſtra profeſto haereſeos Aërianae poſtula-
mur. Namque ut ordinis cauſa, quoddam inter mi-
niftros diſcribenz constituatur, facile patimur: iure
tamen diuino niti epifcoporum εξοχὴ, negamus. Qua-
re nec Puritanorū adprobamus conatus, omnes gra-
duis miniftrorum ac dignitates ſublatas cupientium,
quibus exemplum prae ceteris praeiuile videtur,
vir magni ceteroquin nominis Theodorus Beza cum
notae funt hac ſuper re cum Hadriano Sarauia agita-
tae contentiones. Ceterum Hieronymum praeter Da-
uidem Blondellum in apol. pro Hieronymi ſententia vindicant atque defendunt, Turrianus, ad lib. VIII conſtitut. Clement. c. XLVI. Francifeus a Meſſana in diſſicilium S. Hi-
eronymi locorum elucidatione, Cornelius Scultingius in confeſſione Hieronymiana, & alii laudati quoque Thomae
Crenio ad Vorſtii diſſertat. h.c. p. 87.

55 (56) 56

facti hoc est, non iuris, & quidem eiusmodi facti, quod ea, qua diximus ratione, haud dubio contigit) *& hoc solo presbyteris superiores esse videntur.* *

§. XVI. Quae omnia cum penitus mecum expendo, causam incertitudinis, in iis quae de origine episcoporum, horumque a presbyteris discrimine, ex patrum monumentis disputantur, quamue supra iam notauimus **, mihi inuenisse videor. Enimvero cum multae, ut diximus, rationes hanc, quam indicauimus, vniuersitatem collegio presbyterorum praereliquis εξοχην suaderent, huic autem haud dubio alii se opponerent, facile patet, cur quidam ex patribus antiquis, eius forte utilitatem & necessitatem agnoscentes, tam strenue, & tanta animi contentione, eam propugnauerint. Hinc praeclara illa pro episcopis IGNATII aliorumque effata. Alii contra causas huius mutationis aut ignorantes, aut periculum animaduertentes, aut a primo regimine ecclesiastico etiam in accidentalibus discedi, aegre ferentes, aliter sentiebant, ut CLEMENTIS ROMANI supra comprobauimus
auto-

* add. Caspar Zieglerus *de episcopis cap. III.p. 36. seqq.*

** §. VII. VIII.

auctoritate. Et sane, cum haec vnius presbyteri prae reliquis ἐξοχῇ iam inualuisset, habebant profecto viri cordati causas grauissimas eidem se opponendi. Quae enim innocentī forte consilio initio constituta aut introducta erant, ea mox pessime corrupit mortalium ambitio. Id enim agebant plurimi, vt potestatis suae longe lateque proferrent limites, & tantum non imperium aliquod in reliquos sibi adsererent. Cui intempestiuæ ambitioni temperandæ aut coercendæ nullæ leges, nulli canones, nulla aliorum sufficiebant monita. De episcopis Alexandrinis id obseruat SOCRATES*. Cū enim de Cyrillo commemorasset, maiori cum potestate quam Theophilum antecessorem ad episcopatum eum accessisse, addit: *Ex eo enim tempore episcopi Alexandrini sacerdotalem gradum atque ordinem supergresi, principatum quendam obtinere, & cuncta pro imperio agere cœperunt.* Et de episcopis Romanis:** *Inuidia istos quoque adtrivit: cum episcopatus Romanus perinde atque Alexandrinus, ultra sacerdotii fines progressus, iam olim in dominationem degenerasset.*

H

Tam

* lib. VII. H.E. cap. VII.

** cap. XI.

¶ (58) ¶

Tam misera est mortalium conditio, immo tam
praua indoles. Et vitiis premimur, & vitio-
rum remediis, quippe quae hominum vitiis iti-
dem haud raro noxia fiunt, maximaque adfe-
runt incommoda. Certe, quanta mala episco-
patus in ecclesiam inuixerit, experientia & tot
seculorum fide, constat abunde.

§. XVII. Hi ergo, cum veri & genuini epi-
scoporum natales sint, facile, quae vir clarissi-
mus, HENRICVS DODWELLVS, de eorum ori-
gine differit, diiudicari possunt. Nimirum in
primitua ecclesia, praesertim Hierosolymitana,
nonnulla ex moribus & institutis Iudeorum ad-
sumta esse, haud difficulter fatemur: quamquam
synagogae potius, quam templi ritus sequi malu-
isse veteres christianos, haud sine ratione contem-
nat STEPHANVS LE MOYNE, cuius alibi hac
de re adulimus effatum. * Id vero moribus po-
tius, & ex necessitate, quam destinato consilio,
ecclesiam christianam, ritibus veteris testamenti
adtemperandi, factum esse, nullus ego dubito.
Nec qualiscunque similitudo inter christia-
norum Iudeorumque instituta, ex qua hoc euincere
vult vir doctissimus, ad hoc probandum
suffi-

* praefat, ad parerga historico theologica p. 28. ff. 99.

sufficit. Multo autem minus mihi persuadeo, cognationem carnalem cum Christo tantam nonnullis εξοχως dedisse, ut ideo principes & rectores ecclesie constituti fuerint. Qui enim ex cognatis domini inter apostolos numerabantur, a Christo domino nostro electi erant, non quod essent cognati, sed quod illorum fidem, probitatem, integritatemque perspectam haberet; iisque quod essent praediti moribus, ut testes idonei mortis & resurrectionis Christi esse possent. Regnum sane Christi huius mundi non est, *Ioh. XVIII.36.* Et in Christo Iesu neque circumcisio quidquam valet, neque praeputium (ad eoqua neque cognatio carnalis) sed noua natura, *Gal. VI. 16.* Sed haec eiusmodi sunt, ut vnicuique facile in mentem veniant, ad ea, quae DODWELLVS aliter differit, plane euertenda. Quod vero porro addit, & in quo velut caput causae constituit, tempore apostolorum ecclesiias christianas omnes subditas fuisse ecclesiae Hierosolymitanae, id paulo accuratius nobis discutiendum erit. Sane primam omnium fuisse ecclesiam Hierosolymitanam constat: ab eademque cum processerint, qui reliquas ecclesiias constituerunt, iisque fasque erat, ut hae illam

pia veneratione prosequerentur. Quo sensu & IRENAEVS * Hierosolymitanam ecclesiam μητρόπολιν τῶν τῆς καυνῆς διαδήκης πολιτῶν, metropolin ciuium noui testamenti, dicere potuit; quemadmodum AGRIPPA apud PHILONEM ** urbem Hierosolymitanam, Iudeorum omnium quacunque orbis parte degentium, μητρόπολιν vocauit. Ast inde nondum sequitur, ecclesiae Hierosolymitanae ius aliquod atque imperium in reliquas fuisse. Scio, cum occidentales ecclesiae Romanam, quod ab ea doctrinam sacram accepissent, pia veneratione prosequerentur, hinc consuetudine tandem artibusque Pontificum enatum illud imperium esse, quod non in has modo, sed & in reliquias orbis vniuersitati sibi adserebant. Sed quod fraudibus mortalium contingit, imprudenter in exemplum statuit: & quae imperio occasionem praebet, & ex veneratione aliorum orta est auctoritas, longissime adhuc ab ipso imperio distat. Hinc aut me omnia fallunt, aut vel inuitum ac relungantem IRENAEVUM, vir doctus in suam trahit sententia.

* adu. haer. lib. III. cap. XII.

** Leg. ad Caium. p. 10. 31.

sententiam, hoc sensu Hierosolymam metropolin ciuum omnium noui testamenti ab eo dictam, quod reliquae ecclesiae essent velut coloniae ecclesiae Hierosolymitanae (quod quidem, recte intellectum, facile concedi potest) idque de externa quoque christianorum ciuitate Hierosolymitana intelligendum esse, adeo ut iura christianitatis omnium ab hac ciuitate sint arcessenda; ut ne quidem ciuitas Romana christiana ciuem Christi aliter fecerit, quam eo iure, quo coloniae ius dederint natis in se colonis, ut ciuitatis metropolitanae ciues haberentur, eiusque iuribus omnibus fruerentur.

§. XVIII. Hoc vero cum mirum alicui videri possit, addit: *idque sane pro noui testamenti ratiociniis Platonicis, tum receptis, verissime.* In patribus equidem, doctribusque non nullis ecclesiae, & voces & ratiocinia Platonica lubens admisero: ipsum nomum testamentum ratiociniis Platonicis subinde niti, nunquam concessero. Constat, nonnullos hodie, diuersa ratione inductos, sententias & ratiocinia Platonica & in scriptura sacra, & in patribus quaerere. In scriptura sacra quidem, ut maxima mysteria labefactent, voces, quibus ea exprimuntur

tur ex philosophia Platonica explicantes, contendentesque, sacros scriptores usum saltem Platonicum earum corrigere voluisse, certe roquin eas non fuisse adhibituros. Planissima haec est ratio, & res ipsas, vocibus designatas vocandi in dubium. In patribus autem Platonica decreta formulasque loquendi nonnulli ideo quaerunt, ut habeant, quod vituperent, ut quod ad palatum non est, licet scripturae sacrae maxime conforme, statim ceu Platonicum reiucere queant. Immo alii eosque procedunt, ut quae ecclesia docet grauissima coelestis doctrinae capita, ex Platonica orta philosophia, & a Platonicis introducta patribus, clamare non erubescant. Hinc videas, qui & doctrinam de $\tau\omega\lambda\delta\gamma\varphi$, de personarum in diuinitate trinitate, aliisque capitibus, ceu Platonica traducere non erubescant commenta. Quibus annon viam monstrant, et exemplum praebant, qui quicquid non arridet in patribus, statim ut Platonicum damnant, alii iudicent. DODVELLVS vtique praeter rationem nouo testamento *Platonica ratiocinia* tribuit. Platonicam enim philosophandi rationem ita apud Ebraeos obtinuisse, ut eandem etiam scriptores sacri secuti sint,
quis

quis sibi persuadeat? Immo potius habebant
Ebraei suum peculiarem philosophandi modum,
ad quem si in quibusdam proxime accedebant
Platonici, hi ab illis haud dubio, sua acce-
perunt. Sed id nunc non ago.

§. XIX. Exempla potius quaedam, qui-
bus vir doctus vtitur, perlustremus. Hiero-
solymam *Christianorum omnium matrem* vocat
apostolus *Gal. IV. 26*. Ast superiorem, seu
spiritualem, hoc est, ecclesiam christianam no-
ui testamenti. DODWELLVS contra non exclu-
di terrestrem putat, si ad *modum ratiocinandi*
Platonicum ab apostolis receptum adtendamus.
Quod frustra dicitur. In veteri enim testamen-
to imagines eorum quae sunt in nouo testamen-
to, quaerere, hoc iam ceteroquin satis receptum
erat in gente Ebraea, quamquam in apostolis
& scriptoribus sacris, peculiaris reuelatio spiri-
tus accedebat, ex qua corpus vmbrae respon-
dens, certissime illis innotescet. Non ergo
hoc discendum erat a Platonicis. Hinc facilius
admisericordia, quod dicit, eos mystica Iudeorum
ratiocinia in usus suos conuertisse. Quicquid
huius sit; apostolum ad externam Hierosoly-
mam simul respexit, nullo euinci documento
potest.

poteſt. Res ipſa docet, eum vetus nouumque
inter ſe contendere testamentum; cumque per
Abrahāmi filios ea ſignificata dixiſſet, & ſtatum
legalem veteris testamenti per filium ex ancilla
repreaſtentatum condociuſſet, de noui testamenti
ecclesia dicit: *At ſuperior Hieroſolyma libera eſt,*
quae eſt mater omnium noſtrorum. Nullus hic ter-
reſtri & exterae Hieroſolymae locus. Hinc ma-
triculas eccleſiae profert, in quas quorum relata
erant nomina, in coeliſ ea ſcribi credebañtur.
Scilicet iuxta ratiocinia Platonica. Sed ut per
baptiſtum vera fide acceptum, reuera *nomina*
fidelium in coeliſ ſcribebañtur, hoc eſt, in numero
filiorum Dei, & ſi in fide perſeuerarent, e-
lectorum cenebantur: ita valde errauerit, qui
crediſſerit, per inscriptionem in matriculas ec-
cleſiae, ſtatim ſe recipi in numerum vere creden-
tiū, aut etiam electorum. Vanaqne prorsus
fuere haec ratiocinia Platonica. Rurſus, qui pa-
nem, inquit, perceperunt eucharistiū, panis
illius particeps habebantur, qui e coelo deſcen-
derat. Plane praeter mentem ſcripturae ſacrae
& eccleſiae apostolicae. Qui enim vera fide &
adeo digne panem eucharistiū percipiebañt,
illi demum particeps ſiebant & habebantur pa-
nis

nis illius spiritualis qui descenderat de celo:
Iob. VI. 32. 33. Percipiebat equidem & indigni
 verum corpus & verum sanguinem Christi : sed
 oralis haec manducatio parum eis proderat, cum
 spiritualis abesset. Eiusdemque commatis est,
 quod de *nowovia* adiicit , quam qui cum apo-
 stolis habuerint, illos eandem habuisse cum pa-
 tre filioque , simulque omnia iura mysticae illius
nowoviae esse consecutos. Externa enim commu-
 nio hoc minime efficiebat , sed communio per fi-
 dem. Per hanc enim qui cum Deo coniuncti sunt,
 non possunt non inter se quoque coniuncti esse :
 & qui hac ratione coniuncti sunt inter se, non
 possunt non coniuncti esse cum patre filioque.
 Sed mitto reliqua. Omnia enim eo tendunt,
 iuxta ratiocinia Platonica , symbola externa cum
 rebus internis per symbola representatis, ita con-
 necta esse, ut qui extenorum particeps sit, idem
 etiam rerum internarum particeps reddatur: &
 harum rursus nemo particeps fiat, qui & non
 sit illorum. Hinc enim concludit ex mente a-
 postoli , superioris & spiritualis Hierosolymae
 neminem potuisse esse ciuem, qui idem non fu-
 erit ciuitatis ecclesiae extenae Hierosolymitanae.
 Ex quo rursus eius in reliquias ecclesias imperi-

um patescat. Quae omnia tamen lubrica sunt,
 & admodum infirma. Falsum est, qui externorum
 symbolorum particeps est, eundem semper etiam
 participem reddi internorum. Evidem si exter-
 na, interna quaedam non tam significant, quam
 exhibeant, tum sane, qui symbola percipit,
 necessario etiam percipit, quae per symbola
 exhibentur. Ast si significant saltem, &
 in percipiente dispositio singularis ad interna per-
 cipienda requiratur, quae abesse potest, cum
 externa percipit, tum sane frustra ex participa-
 tione externorum, statim colligitur participatio
 internorum. Falsum praeterea est, in omnibus
 hanc teneri rationem, vt sine externis interno-
 rum particeps nemo fieri possit, ne dicam, quod
 quaedam ut symbola considerari possint, quae
 tamen non necessario ad participationem rerum
 significatarum requiruntur. Vnde & illud fun-
 damento caret planeque reliquid est, cum
 Hierosolyma fuerit symbolum ecclesiae internae
 & inuisibilis, ideo neminem potuisse ciuem esse
 huius ecclesiae, qui non etiam ciuis esset exter-
 nae ecclesiae Hierosolymitanae.

§. XX. Inter reliqua quae pro sua sen-
 tentia vir doctus differit, illud eminet, quod de
 vni-

vnitate ecclesiae in medium adfert. * *Principium enim unitatis catholicae episcopum Hierosolymitanum esse contendit: ipsam vero unitatem christianorum in eo positam fuisse putat, quod in corpus ciuum Hierosolymitanorum coaluerint, & in unum cum illis corpus, qui templi etiam sacrificia communia habebant, licet a Iudeis tempore praesidiis in templum non admitterentur incircumcis, nisi praeputium exuissent, factique etiam essent iustitiae profelyti.* Hinc vero porro concludit, nec Christo quidem vnitatis principio potitos, secundum mentem sententiamque veterum, qui non ecclesiam Hierosolymitanam, omnium summam agnoscerent, & debitum ei obsequium praestarent. Quae profecto eiusmodi sunt, ut & omni destituantur fundamento, nec admitti vlla ratione queant. Enim uero dum vnam nos credere profitemur ecclesiam, hoc ita intelligimus, quia vera eius membra, vera & non fucata fide cum Christo ceu capite coniuncta sunt. *Ephes. I. 22. 23.* Immo quia palmites sunt vnius eiusdemque vitis, Christi, *Iob. XV. 1.* Vnde & inter se arctissimo amoris vinculo coniuncti sunt, qui in Christum credunt, quemadmodum

* §. XI. p. 43. 44.

dum membra vnius corporis pariter quoque
inter se continuata sunt & colligata. add. Ioh. XVII.

ii. Eodem spectat, quod vnicum eius fundamen-
tum, Christus dicitur I. Cor. III. ii. Et etiam
quod unus sit Deus Pater, Filius, & Spiritus san-
ctus, a quo colligitur, & quem celebrat. Ephes.
IV. 6. Accedit vero, si ecclesia externa atque
visibilis spectetur, vnitas doctrinae, sacra-
mentorum, & alia eiusdem generis.

§. XXI. Haec ex ipsis Angliae theologis,
quos merito DODWELLO opponimus, accura-
te explicat illustris praeful IOANNES PEARSONI-
VS.* Ex quibus, inquit, manifestum est, pri-
mam ecclesiae in se consideratae unitatem, p-
raeter eam, quae est capitum, quod est unus Christus,
& unitatem vitae a capite illo communicatae,
quae est unus spiritus, originatione eius niti,
quae una est, eadem plane ratione, qua una do-
mus uni fundamento superstructa, multis licet
concamerationibus, ex multis lapidibus confectis,
constans, non est multa, sed una domus. Iam
vero unum solummodo fundamentum datur, cui ec-
clesia superstruitur, nempe Christus. I. Cor. III. ii.
Hinc vero explicat, quo sensu apostoli & pro-
phe-

* in expositione symb. apostol. artic. IX. p. m. 598.

phetae, vel horum potius doctrina fundamen-
tum ecclesiae dici queat, vt salua tamen eius
sit vnitatis, & tum reliquos vnitatis ecclesiae mo-
dos percenset. Secundo, ita pergit, ecclesia pro-
pterea una est, quia membra, multa licet, omnia
tamen in una eademque fide conueniunt. Est u-
nus dominus & una fides, & haec quidem fides
semel sanctis tradita, quam quicunque recuperint,
amplexi atque professi fuerint, necessario in re-
latione ad professionem istam, ut atque eidem
reputandi sunt. Addit deinde latiusque edisse-
rit, vnam quoque vocari recte ecclesiam, quod
maltae personae atque ecclesiae, vtcunque tem-
pore locoque distinctae, agnoscant recipientque
eadem sacramenta, populi Dei signa atque sigil-
la; itemque, quod, quicunque ad ecclesiam
aliquam pertinet, certo quodam modo vocatus
sit, quotquot autem vocati sunt, in vnam vo-
cationis suae spem vocati sunt, Ephes. IV. 4. &
quod aeternae vitae praemium vniuersitate pro-
missum sit. Praeterea, pro vnitate ecclesiae,
quinto loco, ita rationes subducit: qui eiusdem
animi sunt, qualiscunque sit personarum numerus,
respectu istius animi vnum sunt: sicuti omnia
membra vtcunque differentia, per vnam tamen
animam animata, vnum corpus euadunt. Cha-

ritas est coagulantis atque vniensis naturae, nec possumus istos nominare multos, qui student conservare unitatem spiritus per connexum pacis. Ephes. IV. 3. Denique & disciplinae atque regiminis unitate omnes inter se ecclesias unitas esse ostendit, cuius virtute idem Christus in illis omnibus regnet. Nam, inquit, omnes eosdem pastorales duces constitutos, autorisatos, sanctificatos, & consilio Dei separatos sortiti sunt, quo spiritus directione Dei populum in eadem aeternae saluationis via dirigant, ducantue &c. Ita PERSONIUS unitatem ecelesiae explicat. Cuncta vero, si paucis & accurate rem omnem efferre velis, eo redeunt, ecclesiam vel internam & invisibilem, quae περιτοι talis est, vel externam atque visibilem esse. In illa principium unitatis Christus est, vera fide ab omnibus adprehensus, huc enim cetera facile possunt reuocari; in hac doctrinae & sacramentorum, ad verbi diuini praeceptum rite exacta communio. Ita semper se res habuit: eademque ratione, qua hodie vna est ecclesia, & olim fuit, cum primum institueretur. *

§. XXII.

* add. omnino Michael le Vassor, *Traité de la manière d'examiner les differens de Religion*, cap. IX. p. 231.

§. XXII. Quo pacto itaque episcopus Hierosolymitanus principium unitatis catholicae fuerit, aut dici possit, quod contendit DODWELLVS, ego non video. Namque quoad internam inuisibilemque ecclesiam, Christum esse principium & fundamentum unitatis, probatimus. DODWELLVS etiam hoc agnoscere videtur, dum ait: *Itaque hoc saltem spatio principium unitatis ecclesiae erat, ipse Christus, quo veteris nouique seculi unitas ab eo incipiebat.* Sed hoc, fateor, non capio, cur Christus hoc saltem spatio, principium unitatis dicatur, cum ille contra semper sit omnique tempore fuerit principium unitatis ecclesiae. Neque hoc saltem pacto, quod veteris nouique seculi unitas ab eo incepit, sed quod omnes fideles, qui ecclesiam veram constituant, cum eo aeu capite, vera fide sint contineti. De externa autem seu visibili ecclesia si sermo instituitur, illa non indiget alio principio unitatis, quam communione verae doctrinae atque sacramentorum. Hoc & sufficit, ut una ecclesia dici

que-

seqq. vbi ex insituto de unitate ecclesiae differit, & contra Pontificios probat, Romanum Pontificem neutiquam esse centrum ac principium unitatis.

§§ (72) §§

queat, et si & aliae rationes accedere possint: nec scriptura sacra de alio principio vnitatis nos certiores reddit, si ab iis, de quibus iam diximus, discesseris. Multo autem minus episcopus Hierosolymitanus, in ea ceu principium catholicae vnitatis nobis sistitur. Idque fidenter adserimus, cum contrarium doctissimus DODWELLVS non demonstrauerit.

§. XXIII. Quando vero Paulus apostolus,
Ephes. II. 19. Christianos omnes συμπολίτας
αἰγῶν appellat, lepidus prorsus noster est, dum id ea fieri ratione contendit, quia apostoli scriptoresque sacri, qui *II. Petr. I. 21.* ἀγιοι θεοὶ ἀρχηγῶποι dicuntur, fuerint ciues Hierosolymitani, quorum adeo conciues sint reliqui christiani, ratione ecclesiae Hierosolymitanae. Non equidem nescio, & HENRICVM HAMMONDVUM per αἵρετes hic intelligere *Iudeos*; idque putat apparere ex oppositione τῶν ζέων exterorum. Nam gentiles, inquit, collati Iudeis vocabantur peregrini, cum soli Iudei essent populus Dei. Iam vero cum ethnici συμπολίται facti dicantur, id aliter

* ad b. l.

aliter intelligi non posse , quam factos eos esse
 $\sigma \nu \mu \rho \lambda \tau \alpha s$ Iudeorum. Prouocat etiam id-
eo ad PROCOPIVM , apud quem eam ob causam
Iudei τὸ ἄντερων ἀγίων ἔθνος dicantur.
IOANNES CLERICVS suo equidem calculo HAM-
MONDI sententiam adprobat , per sanctos , hic
Iudeos intelligi : ast minus recte ad PROCO-
PIVM eum prouocasse putat . Iudeos enim vo-
cari ~~— יְשָׁוֹר~~ sanctos , quod essent vero Deo sa-
cri , non quod eorum maiores sanctis fuissent
moribus . Ast conticescere omnes iubet ipse
HVGO GROTIUS , qui recte obseruat , ecclesiam
esse πολιτείαν quandam *non locorum , sed legum*
consortio . Explicatque hoc diserte aposto-
lus , quando fidelium πολιτεύμα *ius ciuitatis* ,
in *coelis* esse dicit , *Philipp.* III. 20. Si ergo coe-
lestis ciuitatis participes sunt , huius etiam re-
spectu , non autem intuitu aut ciuitatis , aut ecclae-
siae Hierosolymitanae , eos $\sigma \nu \mu \rho \lambda \tau \alpha s$ τῶν
ἀγίων dici , longe est manifestissimum . Acce-
dit , quod ecclesiam sub ciuitatis schemate exhi-
beri , in scriptura sacra haud sane sit infrequens ,
vid. *Ebr.* XII. 22. *Apocal.* XXI. 2. Pari ratione
ut hoc loco etiam fideles *Dei domestici* dicuntur ,

K

quia

bal

quia & sub hac imagine ecclesia interdum exhibetur, vocaturque *domus Dei*, *I. Tim. III. 15.*
 Denique nihil aliud, quam spiritualem ἐξοχὴν
 hac loquendi formula innui, res ipsa & sermo-
 nis nexus apertissime docent. Id enim agit apo-
 stolus hoc capite, ut Ephesiis conuersionem ad
 Christum in memoriam reuocet, & quo pacto
 per eam cum Deo reconciliati sint. Tum vero
 commoda spiritualia quae hinc consecuti essent,
 explicaturus, si quidem, inquit, *per eum aditum ha-*
bemus utriusque (tum ethnici tum Iudei) per unum
spiritum ad Patrem, v. 18. Et tum porro *v. 19.*
Ergo non iam peregrini estis, & inquilini, sed san-
ctorum ciues (eidem ecclesiae adscripti, seu per
spiritum sanctum cum Christo & omnibus san-
ctis coniuncti) Deique domestici. *Super aposto-*
lorum vatumque fundamentum (per illorum do-
ctrinam, per quam fides, cum Christo nos con-
tingens generatur) exstructi, anguli capite ipso
Iesu Christo, (tanquam vero & unico unitatis
catholicae principio & fundamento.) Per quod
totum aedificium compactum crescit in sacrum tem-
plum in domino. *Quodnam vero templum?*
Num Hierosolymitanum? Nollem hoc assertuisse
DODWELLVM: *quod ne quidem vero simile est:*
sed

36 (v) 52

sed tantum mysticum illud, per templum Hierosolymitanum adumbratum, quod & eodem pacto vocatur *corpus Christi*, Ephes. I. 23.

S. XXIV. HEGESIPPVS, cuius ex EVSEBIO, vir clarissimus adducit testimonium, adeo nihil eorum, quae ipse cupit, dicit, ut eidem nobis non sit immorandum. Sed quod Pauli effatum II. Thessal. II. 6. huc trahat, haud adeo nobis praetermittendum videtur. Docuerat quippe Thessalicenses apostolus, non aduenturum prius Christum ad iudicium, quam venisset defectio, & patefactus esset ὁ κύριος τῆς αμαρτίας, ὁ νιός τῆς απωλείας. Huncvero cum latius descripsisset, & suis characteribus designasset, se iam praesentem Thessalicensibus haec explicasse, adserit, nec illis ignotam esse causam, cur non tam cito, sed sequenti demum aetate, hoc sceleris mysterium, cuius iam tum semina quaedam in multorum cordibus se ostendebant, palam se proditurum sit. Et nunc, inquit, scitis τὸ κατέχον, quid obstat, (ne videlicet iam tum conspiciatur) ut reueletur suo tempore. DODWELLVS itaque generatim haereticos quosvis intelligit, de quibus & Paulus Actor. XX. 29. praedixerat, intraturos lupos rapaces non parcentes gregi.

Hi ergo licet iam lacertos mouere inceperint
 tempore apostolorum, repressos tamen auctoritate
 ecclesiae Hierosolymitanae fuisse, ne mag-
 gnam adeo in ecclesia ederent stragem. Sic enim,
 inquit, orbem uniuersum christianum perstrinxit
 supremus ille cleri Hierosolymitani gradus, tan-
 taque omnium veneratione susceptus est, ut si
 quam decretoriam sententiam ab eo accepisset no-
 ua haeresis, nullum deinde in quacunque orbis ec-
 clesia refugium fuerit inuentum. Istam itaque
 ecclesiae Hierosolymitanae auctoritatem τὸ
 κατέχον fuisse putat, quod obstititerit, quo mi-
 nus eruperint, aut saltem vires adquisuerint
 haereses. Rectius equidem profecto, & longe
 sapientius quam illi, qui Iudeorum a Roma-
 nis defectionem, & hinc illorum subsecutam e-
 uasionem, quam tantisper procerum gentis Iu-
 daeae auctoritas, metusque Romanorum ceu-
 ντεῖχον, retardauerit, designari existimant.
 Quae sententia, virum quendam doctissimum
 defensorem nacta est, qui ex FL. IOSEPHO do-
 cet, quamdiu vlla procerum, apud Iudeos ve-
 neratio fuerit atque auctoritas, funesta ista hos
 consilia impediuisse, quibus ultimam miseri tan-
 dem sibi adtraxere perniciem. Quod licet fa-
 cile

cile concesserim, Paulum tamen huc respicere non magis mihi persuaserim, quam ad Caium imperatorem, ac L. Vitellium, quorum ille in animo habuerit statuam suam in templo Hierosolymitano collocare, quod tamen ausus non fuerit, quoniam hic Syriam atque Iudeam tenerit; & quod gratiosus vir esset apud Iudeos, magnisque exercitibus imperitaret, facile Iudeorum tutelam contra Caium suscipere, & prouinciam sui iuris facere potuerit, quae est sententia HVGONIS GROTI. *Enim vero quo pacto isti antichristi characteres, v. tertio & quarto ab apostolo expositi in Romanos, aut in Caium quadrant, ego nulla ratione video.* Nec sane de Iudeorum a Romanis defectione loquitur Paulus, quippe quam condocere tantopere tantaque diligentia christianos, non erat necesse. *Quid vero Thessalonicensium referebat, fore ut deficerent Iudei, ideoque illorum a Romanis penitus euerteretur respublica?* Nec tamen hic saltem in epistola de defectione (sed longe alia) eos erudit apostolus, verum idem & praesens fecerat, ut testatur diserte. Ast cupiebant scire diem aduentus domini? Nimirum ad iudicium orbis vniuersi, non ad euersionem gentis Ebraeae.

K 3

De

De hac enim illos adeo sollicitos fuisse ; ut
 inter se disceptarent, si quis sibi persuadeat, nae
 eum indolem moresque veterum christianorum
 prosus ignorare oportet. De aduentu itaque
 Christi ad extremum iudicium, huiusque tem-
 pore cum inter se quaererent, fata, quae prius
 ecclesia subire debeat, magnamque illam *προσα-*
ριών sub Romanis pontificibus factam, eos con-
 docet : in quos ideo & criteria illa antichristi
 quam optime quadrant. Haec querere, haec
 docere, & munere apostoli, & sollicitudine Thes-
 salonicensium, dignum erat. Iam vero si quae-
 ras, quodnam fuerit *τὸ κατέχον*, quod obstitue-
 rit, quo minus ambitio episcoporum, fons &
 scaturigo huius mali, verumque *sceleris myste-*
rium, quod iam tum in multorum se insinuabat
 animos, non prius eruperit : ego quidem vari-
 as conspirasse causas arbitror, quae malesanis
 istis antistitutum consiliis velut frenum aliquod in-
 iecerint. Obstabat nimirum & apostolorum,
 & deinceps cordatorum episcoporum pietas,
 zelus, studiumque singulare veritatis : obstabat
 sanctitas integritasque christianorum plurium,
 qui modestia sua ruborem incutiebant istis e-
 piscopis, qui se efferre supra alios adnitembantur:
 obsta-

obstabant vexationes gentilium, quibus christiani premebantur, & multi episcoporum, forte alias altius euolaturi, ad saniorem retrahebantur mentem: obstabat Romanis quidem episcopis speciatim, auctoritas Imperatorum, etiam cum hi sacra religionis christiana amplexi essent, quo minus isti cupidis statim potirentur. Sed delecto, primo per Herulos, & Gothos, deinde per Longobardos occidentali imperio, tum vero erumpere in aevum omne nefas. Auctoritate enim quam urbis magnitudo Romanis praesulibus dederat, ad opprimendos reliquos iam abuti coeperant; turbatus autem Italiae status pulchram etiam occasionem imperium urbis arripiendi, dabat: episcopis vero plerisque, & magnae christianorum parti, praeter nomen sanctitatis, nihil erat reliqui. Et ita remotum erat τὸ κατέχον, ut mysterium sceleris euolui atque explicari posset. Longe aliam quidem loci huius distinctionem, & huic superstructam interpretationem, adfert DANIEL HEINSIUS * ex cuius ita cuncta reddenda fuerint mente: *Scelestus ille, in domo Dei, pro Deo, immo supra omne quod hoc nomine intelligitur aut dicitur, se gerit:*

* in exercitatu suis lib. XIII. cap. III. p. m. 505.

adeo quidem ut in templo Dei locum vindicatu-
 rus sit sibi, ubi tanquam Deum se venditabit;
 (annon meministis, quid de eo coram vobis dixe-
 rim? neque ignoratis, quid sit, quod me nunc
 aperte vetat loqui) ut suo reueletur tempore. In-
 choatum enim tantum est mysterium iniquitatis;
 donec ille qui nunc obstat, quo minus aperte lo-
 quar, e medio tollatur. Tunc enim auctor ille
 impunitatis omnis iniustiaque reuelabitur. Er-
 go τὸ κατέχον, non ad id refert, quod obstat,
 quo minus vitia mortalium, in antichristi ini-
 quitatem prorumperent; sed ad id quod obsta-
 bat, ne aperte loqueretur Paulus; qui offendere
 noluerit Neronem imperatorem, ne in peri-
 culum adduceret christianos, qui erant in aula
 Neronis. Ipsum quoque Neronem, per scele-
 stum illum, hic designari hanc obscure conten-
 dit: quanquam simul cum CHRYSOSTOMO eum
 pro typo antichristi habeat. Quam lepide con-
 firmat sententiam ex significatione vocis, Nero-
 nis. Haec enim cum lingua Sabinorum fortem
 significet, egregie illud in Antichristum quadra-
 re putat, qui itidem sit ὁ robustus & Deus
 ὁ δικαῖος dicatur. Sed istud profecto parum ro-
 boris habet. Nec de Nerone, sed de ipso an-
 tichri-

tichristo, Paulum loqui, res ipsa docet. Num Nero, homo gentilis, & extra ecclesiam constitutus, in domo Dei sedet, ibique se pro Deo gessit? De Nerone autem cum non loquatur, non quoque necesse erat, tantam adhibere cautionem, ne offenderet Neronem. Ergo τὸ κατέχον aliud quid erat, quam metus ne offendetur Nero, & omnino ad causam, quae reuelationem antichristi impediebat, referendum. Nec iram credo Neronis magnopere timuisset Paulus, vir magni & erecti animi, & grauiissima pericula in minimis ponens, si consultum duxisset apertius loqui, suamque luculentius expromere sententiam. Sed satis seipsum haec viri clarissimi refellit opinio. Ad DODWELLVM itaque quod adtinet, cum proprius quam reliqui quos commemorauimus, ad veritatem accedat, in eo tamen aberrauit, quod quasuis heic designari haereses opinatus est, cum tamen de singulari quadam atque maxime notabili defectione verba faciat apostolus, quae longe post euersem dispersamque ecclesiam Hierosolymitanam, contigit. Adeoque auctoritas ecclesiae Hierosolymitanae profecto τὸ κατέχον esse non potuit,

§ (22) 56

tuit; quod obstiterit, quo minus erumperet
μυσήγεον τῆς αἱρεψίας. Accedit, quod & Flo-
rente adhuc ecclesia Hierosolymitana, pseudo-
apostoli tamen atque Simoniani, satis superque
turbauerint ecclesiam, quibus reprimendis pro-
fecto minime par fuit Hierosolymitanorum au-
toritas. Ne dicam, quod supponat vir do-
ctus, quod tamen nondum euictum est, insigni
eiusmodi auctoritate ecclesiam istam eminuisse;
de quo tamen adhuc disceptamus.

§. XXV. Corruente itaque primatu isto
ecclesiae Hierosolymitanae, cetera quoque cor-
ruunt, quae ad episcoporum originem explican-
dam, eidem superstruxit clarissimus DODWELLVS.
Nimirum, sub primatu ecclesiae Hierosolymita-
nae vixisse christianos putat, quamdiu istius ec-
clesiae status durauerit. Destruēta autem repu-
blica Iudaica, & ecclesia etiam Hierosolymitana,
quae Pellae versabatur, post caedem Simeonis,
quocum stirps domini ac Dauidis extincta sit,
quamvis contigisse putat anno Christi CVII. aut
etiam CV.vel CIV. * dissipata, mox primos su-
isse contendit Ebionaeorum in Perea motus, apo-
stolis inde fugatis, cum de episcopo ageretur

Hie-

* §. XV. p. 61.

Hierosolymitano, in locum Simeonis sufficiendo. De eo mox certiores factos apostolos, ipsos quoque, ex exilio suo, cum per Romanos staret, quo minus in Palaestinam se reciperent, in Asiam sese recepisse, et Ephesi tandem sedes fixisse, ut grassanti haeresi occurrerent. Ibi ergo in vnum rursus corpus coaluisse, praefide Ioanne, qui *praefidatus* (ita loquitur auctor) insigne πέταλον habuerit. * Et ita primatum ab ecclesia Hierosolymitana transiisse ad Ephesinam. ** Ceterum ecclesia Hierosolymitana dissipata, gentilibus forte in eam ideo laeuienteribus, ut capite sublato, res christiana vniuersa una concideret, pro uno capite, episcopo Hierosolymitano, tot extitisse deinde in ecclesiis capita, quot fuissent in singulis ecclesiis πετωναρεγίαι, paria deinceps cum capite Hierosolymitano. Fuisse equidem sub primatu Hierosolymitano etiam episcopos ab apostolis constitutos, non tamen tamē iis fuisse concessam potestatem, quae ab officio apostolis debito eos excusarit. Ast primatu ad ecclesiam Ephesinam translato, primo quidem πετωναρεγίας nomen

L 2

episco-

* §. XIX. p. 80. ** §. XX. p. 85.

§§ (84) §§

episcopis datum; nouam quoque iis concessam
fuisse potestatem: et si nouus ille episcoporum
titulus non effecerit, ut apostolis obnoxii non es-
sent illi περιπλοκαί θεός. * Quae cum ita sint, in
tempus quoque stabilita collegio Ephesino e-
piscopatus, accuratius inquirit, istudque incide-
re putat circiter in annum Christi CVI. **

§. XXVI. Ast plurima hic supponit vir do-
ctus, nondum probata: plurima adserit, accu-
ratius demonstranda. Esto, dissipata ecclesia
Hierosolymitana, Ephesum iterum se contulisse
apostolos, quod tamen nullo idoneo euicit ar-
gumento, num ideo ecclesia Ephesina statim pri-
matum aliquem naecta est? Sane vti ecclesia
Hierosolymitana eum nunquam habuit, ita nec
ab ea in Ephesinam transferri potuit. Rationes
quas hisce suis adseritis substernit, adeo nullius
momenti sunt, vt iis plane immorandum non sit.
Nimirum, apostolos reliquos cum Ioanne Ephesi
fuisse, inde probat, quod apostolorum nomine
Ioannes loquatur, in fine euangelii sui: *hic est disci-
pulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit
haec: & scimus quia verum est testimonium eius.*
Hic

* Haec omnia latius edifferit a §. XIV. ad XXIII. p. 68.
ad 94. §. XXIII. p. 94.

Hic cum ad testimonium, quo comprobari pos-
sit, vera esse quae scripserit, prouocet Ioannes,
colligit inde DODVELLVS, apostolos hic indica-
ri, qui idem testari potuerint, eosque adeo E-
pheſi fuisse, cum ibidem euangelium a Ioanne
scriptum sit. Hoc vero dum latius edifferit, id
quidem recte obſeruat, moris fuisse, vt aliquan-
do alii (de apostolis enim quod dicit, de aliis
quoque recte admittitur) verba sua interpone-
rent, qui primario scriptori, cum scribebat, ad-
fuerint. Sic verbis suis Romanos salutat Ter-
tius, apostoli etiam amanuensis, *Rom. XVI. 22.*
Aſt in euangelio Ioannis idem factum; non ne-
ceſſe eſt vt adſeramus, cum ipſe potius Ioannes
multitudinis numero ad aliorum, vera eſſe ſci-
entium, quae scripſerit, prouocet. Ad quos
vero? Num apostolos? Id equidem non cui-
cit DODWELLVS. Primo enim cum & de loco,
vbi euangelium ſuum Ioannes, scripſerit, & de
tempore, nihil certi conſtet, fruſtra dicitur, E-
pheſi, praefentibus apostolis reliquis, eum ſcri-
pſiſſe. Potuit enim eo tempore ſcribere, cum
iam reliqui apostoli eſſent mortui. Eum in in-
ſula Pathmos, circa annum trigesimum post as-
cenſionem ſcripſiſſe, THEOPHYLACTVS auctor

L 3

est.

est. * Quocum contentit codex arabicus Kirstenii. ** At post redditum ex insula Pathmos, cum Ephesi degeret, anno aetatis nonagesimo septimo scripsisse, testatur IRENAEVS. *** Idemque sentiunt ATHANASIVS*, HIPPOLYTVS PORTVENSIS apud CEDRENVM **, & EPIPHANIUS. *** Quicquid huius sit, manifestum est, ponere DODWELLVM id, quod nondum euictum est, & Ephesi, & praesentibus reliquis apostolis euangelium a Ioanne scriptum. Male equidem haec verba ad ecclesiae Ephesinae presbyteros referri putat, cum isti, inquit, ausi non fuissent sacrum euangeli textum verbis suis interpolare. Praeterea eos de originibus christianis in euangelio traditis non fuisse testes idoneos, tot quippe annis post illas origines ad Christi fidem conuersos, cum ecclesiam Ephesinam fundaret Paulus *Auctor.XIX.1.* Ast vero nulla hic interpolatione opus fuit. Ipse Ioannes haec verba suo & aliorum, qui idem nouerant, nomine protulit. Per-

* add. Doroth. de vit. Apost. in Biblioth. Patr. Tom. III. p. 147.

** p. 51. *** aduers. haeres. lib. III. cap. I.

* in synopfi. ** in Nerua. *** haeresi LI. add. Hieronymus praefat. in Matth. t. IX. & de scriptor. Eccles. in Ioanne, it. Heideggerus in encyclo Biblico lib. III. cap. V. §. VII. & Guil. Caeu in Antiquit. Apostol. in vita Ioannis §. XV.

rinde ac si dixisset, scio non tantum ego, sed sciunt & alii, vera esse haec quae scripsi. Qui-nam vero isti? Non equidem presbyteri ec-clesiae Ephesinae, quanquam & ex illis esse po-tuerint, qui idem a reliquis apostolis acceperant: sed ex fidelium numero, aut etiam discipulis Christi, qui aut viderant audiuerantque quae Christus egerat & dixerat, aut idem a testibus fide dignis acceperant.

§.XXVII. Cum ergo dubium adhuc incertum-que sit, num Ephesi fuerint cum Ioanne reliqui apostoli: quid de toto primatu Ephesino cen-sendum, facile patet. Ast πεταλον gessit Ioan-nes τῆς ἐξοχῆς insigne. * Lubricum fundamen-tum. Fabulam iam reiecimus alibi, ** osten-dimusque, nec POLYCRATIS, nec EVSEBII, nec HIERONYMI, tanti hic esse auctoritatem, vt hoc nobis persuadere possint. Planeque a modestia Ioannis alienum est, eum eiusmodi externum auctoritatis sacrae symbolum usurpare, quo nullus veterum episcoporum usus legitur. Quic-quid huius sit, fortioribus argumentis primatus ille Ephesinus, & ἐξοχὴn Ioannis probari debe-bat

* S. XIX. p. 80. ** in praefat. parerg. historico - iherolog. p

bat. Coniecturis autem, & inani verborum strepitū, vt hoc credamus, nos neutiquam induci patimur. Quare & frustra dicitur, euerso, deum primatu Hierosolymitano cum nomine potestatem episcopalem ortam, quae deinceps sub episcopatu Ephesino aucta fuerit. Etenim, et si fundamento destructo, haec sponte sua corruant, repugnat insuper episcoporum, quam supra declarauimus, origo. Cuius nostra sententiae tam manifesta veritas est, vt nec negare sustineat auctor, sub primatu iam Hierosolymitano constitutos fuisse episcopos: nomen saltem & potestatem deinceps ortam putat. Sed hoc quoque perperam. Nomen equidem presbyteris omnibus commune fuisse concessimus, donec praecipuo ex iis haereret. Potestas autem, Numinis quidem & apostolorum voluntate non alia, quam docendi, & prout doctoris officium postulat, regendi ecclesiam. Hanc potestatem vt episcopis a se constitutis dederunt apostoli: ita eandem, nec maiorem profecto aut aliam iure sibi vindicare potuerunt episcopi, aut vindicare hodie possunt. Contigit equidem deinde, vt maiorem sibi ipso facto nonnulli vindicarent, ab apostolorum hoc ipso discedentes constitu-

stitutione primaeua : sed occasionem huius rei supra iam exposuimus : nec id ob destructum primatum aut Hierosolymitanum , aut Ephesinum , contigit ; sed suadente opportunitate , cum vnius in presbyterorum collegio maior esset auctoritas , & impellente ambitione .

§. XXVIII. Videntur haec vitia , quae deinceps episcopatum progenuere , iam quodammodo se prodidisse , idque non tantum ex loco supra iam allato *H. Tim. II. 7.* sed & cumpromis ex Petri apostoli effato *I. ep. V. 2. 3.* liquet .
 Ποιμανάνατε , inquit , τὸ ἐν ὑμῖν ποιμνίον τῷ Θεῷ , Ἑπισκοπέντες μὴ αὐαγκασῶς ἀλλ’ ἐκστίως· μηδὲ αἰσχροκερδῶς , ἀλλὰ πειθόμως· μηδὲ ὡς κατανυξεύοντες τῶν κλήρων , ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τῷ ποιμνίᾳ . Ita compresbyteros suos alloquitur vir diuinus , manifesto documento , non fuisse tantum presbyterorum & episcoporum discrimen , quantum sequens vidit aetas . Nec id diffitetur DODWELLVS , qui potius hanc presbyterorum & episcoporum aequalitatem , sub primatu Hierosolymitano , seu tempore apostolorum quodammodo agnoscit . Singularem tamen oraculi Petrini adfert expli-

cationem, quam paucis attigisse, non abs re fuerit.
 Etenim cum presbyteris seu episcopis eleemosynarum distribuendarum cura in ecclesiis exteris incubuerit, ab hoc ipso munere presbyteros & episcopos dictos fuisse contendit. Atque id quidem per προσάρτα I. Tim. V. 17. significari putat: οἱ καλῶς προεστῶτες προσβύτεροι διπλῆς ἡμῖν αὔξισθωσαν, μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. Generatim enim presbyterorum omnium esse hic innuitur, praecesse aliis, quos inter tamen nonnulli speciatim laborent in verbo & doctrina. Id vero non aliter capi posse auctore doctissimus putat, quam presbyteros dispensandis ecclesiae opibus fuisse praefectos, quo nomine officium προσάρτα apud Athenienses, qui praeerat μετόκοις, & patroni Romani, cum hocce minere presbyterorum confert. Quae etsi erudite ab auctore obseruata sint, ego tamen nullam video rationem, cur non & de vitae morumque inspectione & directione, doctribus sane ecclesiae conueniente, vox ista προσάρτα accipi queat: certe ut accipiatur, multa suadent, cum vitae directio longe maioris momenti sit, quam dispensatio optum, curaque pauperum,

¶ (91) ¶

perum. Cumque hoc omnibus presbyteris
commune esset, non tamen aequa ad docen-
dum apti erant, hinc merito τές κοπιώνας ἐν
λόγῳ νοῦ διδασκαλίᾳ reliquis praefert aposto-
lus. Quicquid huius sit, ad Petrinum quod
attinet oraculum, id DODWELLVS ita explicat,
ut totum ad dispensationem hanc opum eccl-
esiasticarum referat. *Ad rem nummariam, in-*
quit, illa spectant omnia. Nimirum, pascere
gregem Dei, illos dici putat, qui ἐπισκοπὴν pro-
prie sic dictam exercent, curamque gerunt pau-
perum. Ego non credo. Longe sublimius quid
hac formula scriptura innuit. Qui verbo Dei
ad salutem auditores suos erudiunt, illi sane
pascunt. Hinc, veri demum pastores, qui hoc
faciunt. *Ἐπισκοπὴν,* inquit Petrus, μηδαγ-
κασῶς ἀλλ ἐκστίως. Idem esse noster putat
ac quod alibi a Paulo dicitur, dare μὴ ἐν λύπῃς
η ἐξ αὐτῆς, cui ἡλεցὸν δότην opponit, *II. Cor.*
IX. 7. Rursus sine ratione. Namque & ἐπισκο-
πὴν seu inspectio vitae & morum magno cum
onere, plurimis cum taediis ac incommodis

M 2

con-

* p. 139.

coniuncta erat. Hinc facile contingere poterat, ut quidam iniuiti & *αναγνωστές* hoc munus in se reciperent, quod facere debebant *ἐκποτίως*. Adit equidem, *μηδὲ αὐτοχρονεցδώς*. Sed nouo hic incommodo obuiam it apostolus: *vitia illorum reprehendens, qui ἐκποτίως quidem, sed turpis lucri causa episcopatum ambibant.* Nec negamus, ex eleemosynarum opumque ecclesiae dispensatione, oblatam episcopis occasionem, avaritiam suam explendi: sed omnia Petri huc pertinere verba, id vero vix nobis persuadebimus. Praesertim sequentia obtorto huc ab auctore trahuntur collo: *Μηδέ οὐς κατακυρεῖντες τὸν κλήρον.* *Κλήρον* nomine enim non homines, sed patrimonia intelligit*: quibus *κατακυρεῖν* dica-

* Hanc lubentes admitteremus, si cetera recte se haberent, vocis huius expositionem, Romanensibus quippe oppositam. Hi namque cleri nomine verbi diuini ministros intelligunt, cum tamen in scriptura sacra ipsam ecclesiam, seu coetum omnium credentium significet. Ast apud scriptores ecclesiasticos demum de ministris verbi diuini adhiberi coepit, quos inter Tertullianus, primus fuisse videtur, qui hanc vocem ita usurpauit; in libro de *Monogamia*, cap. XII. Saltem ita censet Vorstius *dissertat. citata § X.* vbi eruditae hac de re differit. In oraculo Petri

dicatur, qui haec patrimonia ita administrat, ac si essent illius propria. *Ast vero καλανυγείεντι* haud dubio significat imperare hominibus. Eandem vocem adhibet Matthaeus, Christi sermonem referens, quo plane in eundem sensum, ac hoc loco Petrus facit, discipulos suos adhortatur, ne se supra alios efferrent, iisque principum instar imperitare, in animum inducerent: *οὐδετές, ὅτι οἱ ἀρχοντες τῶν ἐθνῶν καλανυγείεντων ἀντῶν, εχετας δὲ ἔσαι ἐν ὑμῖν.* cap. XX. v. 25. *Quod iisdem verbis repetit Marcus cap. X. 42.* & Lucas XXII. 25. nisi quod hic pro *καλανυγείεντι*, habeat *κυριεύστι*. Ex quo etiam patet quid per *τὸν κλῆρον* intelligendum sit: populus scilicet, seu coetus fidelium, quem versiculo praecedenti vocauerat *ποιμανίας Θεοῦ gregem Dei*. Nec infrequens inscriptura sacra, cleri aut haereditatis voce populum Israeliticum significari, quae deinceps ad christianos recte translata

M 3 est de-

apostoli, non presbyteros & diaconos, sed ipsum gregem *κλήρος* nomine venire, cum cordioribus agnoscit Erasmus *ad h. l. Crenio quoque ad Vorstii l. c. laudatus*, qui more suo plura de hac voce ex variis scriptoribus, diligenter concessit.

est denominatio. conf. Deut. XXXII. 9. II. Sam.
XXI. 3. Psal. XXXIII. 12. Psal. LXXIV. 2. Psal.
LXXVIII. 71. &f. XIX. 25. Nec sane necesse est,
vt ad opum ecclesiasticarum dispensationem
haec referamus. Duo enim maxime vexant vi-
tia sacri ordinis viros, (illos nimirum qui se ser-
uos Christi mentiuntur) ambitio, & avaritia.
Vtrique ergo obuiam ire voluit apostolus, tum
a lucri turpis cupiditate, tum ab ambitione, &
studio aliis imperitandi eos dehortando. Sed haec
 $\omega\varsigma \dot{\epsilon}\nu \pi\alpha\zeta\delta\vartheta\omega$. Quae enim porro hac de re addit,
ex dictis diiudicari facilis negotio possunt.

§. XXIX. De origine episcoporum di-
ctum hucusque, quantum instituti nostri ratio,
aut requirit, aut permittit. Nec enim discutere
omnia animus est, sed delibare praecipua, &
per summa ire capita. Nunc & de potestate e-
piscoporum dicendum est, quod caput equidem
causae est, sed tanto facilius fieri poterit, quod
lucem hic egregiam affundant, quae de origine
illorum diximus. Duplex autem constitui so-
let episcoporum potestas, *spiritualis* alia, alia
temporalis: illam internam, hanc externam, vo-
care vulgo solent. Quemadmodum rursus spi-
ritualis aut secundum iuris diuini regulam, aut
secun-

secundum ius, quod vocant, ecclesiasticum considerari potest. Sane si munus officiumque episcopi secundum diuinarum litterarum praescriptum consideretur, non potest alia illorum quam mere spiritualis esse potestas. Doctores enim sunt, patrumque spiritualium nomine veniunt, quia per verbum spirituales filios gignunt, adeoque docendi officio, omnis illorum plane absolvitur potestas. Ea itaque possunt, quae docto atque magister potest, docere, erudire imperitos, commonefacere reluctantibus, solari projectos, erigere timidos, & quae reliqua sunt, eiusdem generis. Nec aliam presbyterorum aut episcoporum potestatem scriptura statuit, quae potius ab imperio aut dominatione quam longissime, eos abesse iubet. *Gentium reges*, inquit, ad apostolos verba faciens Christus, *in eas dominantur, qui que imperant, gubernatores appellantur: at vos non ita. Luc. XXII. 25. 26.* Et Petri supra iam adtulimus verba, quibus pascere gregem domini iubet, non autem eidem imperitare, *I. Petr. V. 2. 3.* Quibus suffragatur Paulus: *sic de nobis existimet quilibet, nos ministros Christi esse, & dispensatores mysteriorum Dei: I. Cor. IV. 1.* Quae cum ita sint, suis circumscripti ben-

benda limitibus potestas episcoporum docto-
rumque ecclesiae, quae satis equidem ampla est
& honorifica, si emolumenntum quod inde ad
omnes redundat, modo munere suo recte fun-
gerentur, spectes, minime autem cum ciuili im-
perio confundenda, quod plerique faciunt, qui
internae externaeque potestatis limites non cau-
te satis fecernunt. Nec aliter ecclesiae hac de re
statuerunt patres. Omnium instar sit CHRYSO-
STOMVS. * *Sermonis, inquit, doctrina nobis com-
mendata est, non principatus, nec potestatis au-
toritas, ordinem tenemus consulentium & ad-
abortantium; qui consultit, sententiam suam di-
cens, auditorem non cogit, sed in illius potestate
faciendorum optionem liberam relinquit.* **

§. XXX. Solet haec, de qua loquimur
episcoporum potestas iterum diuidi in potesta-
tem ordinis, & potestatem iurisdictionis ecclesia-
sticae. Illam si secundum verbi diuini regulam
consideremus, absoluuntur tantum facultate do-
cendi, aliosque erudiendi, & administrandi sa-
cramenta. Nec profecto aliud officium iniun-
ctum fuit apostolis, quorum successores debent
esse.

* *homilia II. in epift. ad Epheſi.* ** add. *Hildebrandus de
iuribus episcopaliibus §. VI.*

esse episcopi, * nisi ut doceant & baptizent.
Matth. XXVIII. 19. Μαρτυραίε, inquit ser-
 uator, facite & colligitē mihi discipulos, per
 doctrinam, quam a me accepistis. Hinc etiam
 pastorum, & doctorum, itemque patrum, vt iam
 ante obseruauimus, nomine veniunt. Haec duo
 sunt, inquit, ORIGENES **, (episcopi) opera, vt
 aut a Deo discat legendō scripturas diuinās, &
 saepius meditando: aut populum doceat, sed illa-
 doceat, quae a Deo ipse didicerit. Praecipui,
 nimirū munērīs episcopalis, quod docendo ab-
 soluitur, dum facit mentionem, alterum, quod
 est sacramentorum administratio, non excludit.

§. XXXI. Sed per ecclesiae leges & insti-
 tuta, multa alia adhuc ad hanc ordinis potesta-
 tem accesserunt, scripturae sacrae, & primitiuae
 ac apostolicae ecclesiae ignota. Namque & or-
 dinare clericos, & consecrare aedes sacras & al-
 taria, & benedicere abbatibus, abbatisis, sacris
 virginibus, & tradere spiritum sanctum conuer-

N sis haec-

* Namque in apostolorum munere, simul munus
 episcoporum continebatur. Ceterum, quod epi-
 scopi apostolorum successores sint, ex instituto de-
 monstrat Marcus Antonius de Dominis *de republi-
 ca ecclesiastica lib. II. cap. II.*

** *hom. VI. ad cap. VIII. Leuit.*

*sis haereticis, baptizatorum praeterea frontes si-
gnare chrismate, mittere epistolas formatas, &
quae alia sunt eiusdem commatis, ad episcopo-
rum referre munera, moris est. Horum autem
quaedam ita comparata sunt, ut si ex consuetu-
dine, innocenter, ab episcopis usurparentur, ceu
ecclesiae mores ac instituta, tolerari possent,
quaedam autem cum superstitione manifesta,
nonnulla autem & cum aliorum iniuria quadam
coniuncta sunt. Namque, ut de ultimo saltem
dicam, praeter omne ius & fas ordinandi pote-
stas presbyteris denegatur, & solis vindicatur
episcopis. In veteri sane ecclesia, cum episcopo-
rum presbyterorumque nullum esset discriminem,
utrosque in ordinatione concurrisse, dubio ca-
ret. Et licet deinceps episcoporum pre-
byteris quaedam se exeruerit εξοχή, non tamen
statim ab ordinatione eos excludere potuerunt.
Sane in ecclesia Alexandrina, per aliquot secula,
a Marco vsque ad Heraclam, episcopos a pres-
byteris ordinatos fuisse, praeter HIERONYMVM
testatur EUTYCHIVS, patriarcha Alexandrinus,
cuius verba ex arabico in latinum vertit IO. SEL-
DENVS *. Constituit item Marcus Euangelista
duode-*

* apud Hildebrandum l.c. §. X.

duodecim presbyteros, cum Hanania, quinempe
 manerent cum patriarcha, adeo, ut cum vacaret
 patriarchatus, eligerent unum e duodecim presby-
 teris: cuius capiti reliqui undecim manus impo-
 nerent, eumque benedicerent. &c. Neque desit
 Alexandriae institutum hoc de presbyteris duode-
 cim, usque ad tempora Alexandri, patriarchae
 Alexandrini, &c. Cumque in canonibus post
 trecentos demum a Christo nato annos, Ancy-
 rae & Antiochiae latis, ordinandi potestas solis
 episcopis committatur, ad id usque tempus, sal-
 tem non ubiuis terrarum ordinationem episcopis
 fuisse propriam, nonnulli inde colligunt. In
 quinta equidem DAMASI Pontificis epistola, haec
 leguntur: *Quod vero eis (presbyteris) non licet
 sacerdotes consecrare, nec diaconos aut subdiaconi-
 nos, nec altare erigere, nec ungere aut sacrare,
 nec ecclesias dedicare, nec chrisma confidere, &c.*
*Quae omnia solis pontificibus deberi, tam ex su-
 perioribus, quam ex aliis patrum constitutis, aut
 sacris canonibus edicti estis, &c.* Quae luculen-
 ter nos condocere videntur, non modo ordina-
 tionem iam seculo quarto episcopis, quos pon-
 tifices vocat, fuisse propriam, sed & reliqua,
 supra indicata, eos sibi adseruisse iura. Ast DA-
 MASIS perperam hanc epistolam praeferre no-

33 (100) 53

men, reiiciendamque in seculum nonum esse,
erudite demonstrarunt DAVID BLONDELLVS * ,
atque IOANNES DALLAEVS ** . EX CHRYSO-
STOMO constat, sola ordinatione , nec ullis aliis
prae presbyteris , iuribus , eius aetate gauisos fuisse episcopos . Ita enim hac de re verba facit:
*τὴν γὰς χειροτονίαν μόνην ἀντὶ τῆς ἀνάβεβήνασι ,
καὶ τέτο μόνον δοκεῖσι πλεονεκτεῖν τὰς πεσθυ-
τέρας . Sola enim impositione adscenderunt epi-
scopi supra presbyteros , & hoc solum lucri viden-
tur praeripiisse presbyteros . Habuerunt ergo hac
aetate episcopi ius ordinandi sibi proprium : sed
cum eo solo presbyteris fuerint superiores , fa-
bulas sane & commenta nobis narrant , qui re-
liquorum quoque iurium supra commemo-
ratorum natales , in veteri ecclesia quaerunt . Prae-
terea , usurpatione potius aut occupatione , ordi-
nandi potestatem , cui propriam sibi tenuisse e-
piscopos , haud obscure indicat CHRYSOSTOMVS ,
dum adscenderunt , inquit , ἀνάβεβήνασι , siue
transgressi sunt conditionem presbyterorum ,
quos per ἀνάβασιν illam depresso-
riores*

** in pseudo-Isidoro . p . 541 . ** de confirmat . lib . II . cap .
XXII .

35 (10) 5

riores reddiderunt. Immo, quod amplius est,
addit: οὐδὲ οὐδὲν δοκεῖτι πλεονεκτεῖν ταῖς
πρεσβυτέροις, quod plane fraudem & violentiam
indicit. Πλεονεκτεῖν enim, si cum accusandi ca-
su iungatur, ut criticorum norunt filii, significat
circumuenire, fraudare, vi agere, rapaciter age-
re, aliena eripere, extorquere, praeripere alicui
commodum: quod & eleganter solideque, de
hoc ipso CHRYSOSTOMI loco differens, obser-
uat CASPAR ZIEGLERVS. *

§. XXXII. Progredimur itaque ad pot-
estatem, quam vocant *iurisdictionis ecclesiasticae*;
aut perperam, cum itidem mere ministerialis sit.
Iurisdictionem & ecclesiasticam & ciuilem, in
ministris verbi ditiini scriptura plane ignorat:
quae non dominos, sed seruos eos esse voluit.
Referri tamen huc solet *poteſtas*, quam adpel-
lant, *clauium*. Hanc Petro Christus tradidit:
Et tibi dabo claves regni coelorum: quicquid li-
gaueris in terra, erit ligatum in coelis; & quic-
quid solueris in terra, erit solutum in coelis,
Matth. XVI. 19. Regni coelorum, non regni ter-
rarum claves Petro tradidit, vt innuueret, hanc

N 3

pote-

* de episcopis cap. III, §. XV, XVI, XVII.

potestatem se non ad temporalia , sed ad spiritualia tantum extendere. Nec tamen soli Petro hanc potestatem tradidit, sed reliquis etiam apostolis omnibus. Omnes enim alloquitur Matth. XVIII.18. *Quaecunque ligaueritis in terra, erunt etiam ligata in coelo, & quaecunque solueritis in terra, erunt quoque soluta in coelo.* Quod & apud Ioannem repetit: *si quorum remiseritis peccata, remittentur eis : si quorum retinueritis, retenta sunt.* Nimirum ut claudendi aperiendique munus clavium opera in aedibus exerceri solet, & oeconomus clauem habere dicitur, qua domum aperiat & claudat: ideo Christus ipse aedium suarum dominus , habere dicitur clauem Dauidis *Apocal. III. 7.* Ipse vero cum alios sub se habere oeconomos vellet, dedit illis ad munus hocce sustinendum, claves regni coelorum, quibus claudere & aperire possent. Eodemque pertinet soluendi ac ligandi similitudo , idem plane ac clavium potestas significans. Ut enim in ciuitate suprema ligandi captiuos soluendique potestas , est penes summum imperantem , vt tamen ministris suis eam demandare possit: ita Christus etiam missus est ad proclamandam captiuis libertatem , & vincit aperituram

§ (103) §

turam ergastuli, & ministri eius, quibus hoc
praedicandum commisit, ligare & soluere, reti-
nere & remittere peccata dicuntur. De hac ve-
ro ligandi & soluendi potestate cum nonnulli ita
existimant, consistere eam in nuda ostensione
seu declaratione, dum minister peccata sua con-
tentibus non tam ea remittat, quam remissa
esse significet: aliqui tamen nostrae ecclesiae
doctores, praevia scriptura sacra ita arbitrantur,
quod claves, quas creditas fibi talis minister ha-
bet, vere aperiant, non tantum apertum signi-
ficient, regnum coelorum. Vti enim qui bapti-
zat & docet minister, non regenerationem sal-
tem indicat, & annunciat, sed reuera vt causa
ministerialis per verbum, & baptismum, regene-
rat: ita etiam, qui absoluunt, non saltem remis-
sionem peccatorum indicat, sed etiam si cetera
recte se habeant, re ipsa consert, seu organon
est, per quod Deus remissionem peccatorum
operatur. Ita enim rationes subducere solent.*
Quicquid huius sit, ministerialis tamen est ista
tantum potestas, nihil imperii aut iurisdictionis
secum coniunctum habens. Namque nec pro-
lubitu

* conf. Scherzerus in Breuiario Hulsemanniano extenso. cap.
IX. thes. XVIII. p. 533.

lubitu aut claudere aut aperire, soluere ac ligare possunt: sed si peccator remissione peccatorum veniaque indignus sit, apertio ac solutio ista effectu caret, & illi parum prodest: quemadmodum rursus ligatio non nocet, si vera poenitentia ac fide remissionem peccatorum a Deo impetraverit, & citra eius culpam solutio a ministro illi denegetur. Multo autem minus episcopalis iurisdictionis partem constituit, cum omnibus ecclesiae ministris rite constitutis, eadem competit. Quando enim quis ecclesiae minister, hoc est, oeconomus domus Dei *I. Cor. IV. 1.* constituitur, simul illi traduntur claves ac etiam potestas eis videnti. Utique omnibus ac singulis apostolorum successoribus, ecclesiae videlicet doctoribus quibuslibet, dictum est: *Quorumcunque remiseritis peccata, &c.*

§. XXXIII. Clavis ligantis exercitium vocari etiam solet *excommunicatio*: quae ut intempestius mortalium consiliis subinde per opportunum instrumentum fuit, ita & eo celebrius de ea disputandi argumentum viris doctis praebuit. Mihi nec alia ratio, nec fundamentum aliud excommunicationis esse videtur, quam ipsius clavis ligantis. Illis enim, qui vera poenitentia emen-

emendare mores, vitamque corrigerem nolunt,
 non possunt non iram Numinis denuntiare verbi
 diuini ministri. Quo ipso velut ligati, vinculis
 que peccatorum, & tenebrarum catenis constri-
 eti manent, donec admissorum serio eos poenil-
 teat criminum. Simultque hoc ipso communio-
 ne spirituali ecclesiae inuisibilis profecto desti-
 tuuntur, cuius, quamdiu peccatis seruiere, non
 fuerunt participes. Cum vero omnino ecclesiae
 externae interfit, pro membris eius ne habeantur,
 qui vitiis reuera ab inuisibili discesserunt,
 iure meritoque externa etiam sacerorum commu-
 nio, impiis ac impoenitentibus, in veteri eccl-
 esia fuit denegata, idque a tota fiebat ecclesia. In
 quo eti forte Iudeorum exemplum secuti sunt,
 quod alibi a nobis demonstratum, nihil tamen
 quod reprehendi debeat, aut rebus illorum con-
 ueniens non fuerit, admiserunt. Nec sane hac
 ratione spectata excommunicatio, poena pro-
 prie sic dicta fuit, aut imperium aliquod vel iu-
 risdictionem praesupposuit: cum nihil aliud fe-
 cerint, quam ut se ab illo remouerint, nec sibi
 cum eo quicquam commercii in rebus ad reli-
 gionem spectantibus, esse voluerint. Hoc ve-
 ro positum in potestate minoris collegij ac so-

O

ciatatis

cietatis est, graues ob rationes aliquem pro socio non agnoscere, etiamsi imperium aut iurisdictionem illa societas non habeat. Potuitque hoc plane fieri sine omni infamia, cum veras adhuc rerum notiones haberent homines, nec statutum ciuilis cum re christiana confunderent. Et ita etiam patet, quousque ipsa scriptura sacra excommunicationem iubeat, in ipsa quippe protestate ligandi fundatam. Nec necesse est ad illud Pauli, qui Corinthium, incestu pollutum, *Sathanae tradidit, configere, I. Cor. V.5.* Quo minus enim ista traditio de excommunicatione intelligi queat, inter alia & illud obstat, quod ab ista traditione ipse Paulus discernat excommunicationem, & hanc fieri voluerit ab ecclesia Corinthiaca, *v. 13. tollite istum sceleratum, de medio vestrum,* quod recte quoque obseruauit PETRVS MOLINAEVS *. Morbos potius, corporisque afflictiones, quam excommunicacionem intelligunt multi ex patribus, CHRYSOSTOMVS, HIERONYMVS, AMBROSIVS, aliique, notante HVGONE GROTIUS **, qui haecce dona

* de poenitent. & clauib. lib. VIII. cap. XIII. p. 532.

** de imperio summar. potestat. circa sacra. cap. XI. §. V. p. 116.

singularia, mortis, quod Petrus fecit, ab Anna deceptus, morborumque immissione, castigandi, auctoritatemque hac ratione sibi conciliandi, non satis tamen accurate, ad ea retulit, quae iurisdictionis alicuius habent speciem. Certissimumque omnino putat, tempore, quo terrenae potestates ius puniendi sibi concessum, ad purgandam tuendamque ecclesiam, non exercebant, Deum ipsum, quod terrenis auxiliis derat, coelesti auxilio suppleuisse. Et hinc factum porro censet, ut apud Corinthios profanato coenae dominicae mysterio, *multi aegrotarent, multi occumberent.* Sed vero, ut Deus ipse modo extraordinario haec per apostolos efficiebat, ita neutquam inde oritur species poenae humanae aut iurisdictionis. Saltem in exemplum, quae Deus ipse per apostolos, singulari spiritus sancti afflatu percullos, egit, trahi nequeunt. Quicquid huius sit, excommunicatio, cum ista traditione in potestatem satanae, nihil commune habet: eaque simul ut a poena & iurisdictione longissime remota est, ita initio in primitiva ecclesia, innocenter fuit administrata. Multo autem minus solis episcopis fuit propria. Praeterquam enim, quod iam supra ex ipso

O 2 Chri-

Christi seruatoris effato probauimus, ligandi,
 vnde excommunicatio orta, & soluendi potesta-
 tem omnibus aequa verbi diuini ministris con-
 uenire, & excommunicatio insuper certo modo
 ad totam ecclesiam spectet, vt antea diximus,
 praxis quoque veteris ecclesiae hoc satis super-
 que comprobat. HIERONYMI pariter ac CHRY-
 SOSTOMI hoc confirmare possumus auctoritate.
 Ille enim, mibi, inquit, ante presbyterum sedere
 non licet: illi si peccauerit, licet tradere me sata-
 nae, in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in
 die domini Iesu. Et in veteri quidem lege, qui-
 cunque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra
 casra positus lapidabatur a populo, aut gladio cer-
 nice subiecta, contemtum expiabat cruento. Nunc
 vero inobediens spiritali mucrone truncatur: aut
 eiectus de ecclesia, rabido daemonum ore discerpit
 tur. * Hic autem presbyter adhuc, excommu-
 nicandi haud obscure sibi vindicauit potestatem,
 hunc in modum eos alloquens: Ego de cetero
 vobis, ne sacra haec vestibula ingredi amini, ve-
 tabo. ** Deinceps vero cum cuncta in deterio-
 ra fuerent, & in ciuilium poenam excommunicata
 sunt.

* ep. ad Heliodorum.
 ** hom. XVII, in Matib.

(109)

tio degenerauit, & initio clerici, mox vero speciatim episcopi eam sibi propriam fecerunt, procul facestere iussis reliquis. Sed de episcoporum iuribus & potestate, non ex corruptae, sed integræ ecclesiæ moribus iudicandum,

§. XXXIV. Supereft ut de externa seu temporali episcoporum potestate, vel tria addamus verba. Hanc vero licet multi acriter episcopis vindicent, adserantque, hoc tamen praeter ius ac fas fieri, demonstrari facile potest. Semper namque nobis merito obuersatur vox sanctissima seruatoris : *Reges gentium dominantur, quiue imperant, gubernatores appellantur, vos autem non sic.* *Luc. XXII. 25. 26.*

Cumque doctoris officio omnis episcoporum potestas circumscribatur, non sane sibi eam adferere possunt, quae imperantium propria est, nisi res toto coelo diuersas, docere, & imperare, inter se permiscere velint. Sed nec licet imperantibus ea eripere, quae illis concessit Deus ; cum omnium potius officium sit mortalium, parere superioribus potestatibus, cum nulla nisi a Deo sit, pronunciante sententiam Paulo, *Rom. XIII. 1.* Imperantium autem summorum cum tanta iure potestas sit, quantum rei-

publicae salus ac conseruatio requirit, haec vero omnino requirat, ut omnes aequi citra ordinis statusque discrimen, seculares pariter ac ecclesiastici, imperantibus pareant, & ab his ipsa quoque sacra dirigantur, ut ordine cuncta & decenter fiant, nec in periculum vlla ratione concipiatur res publica ; sequitur profecto, potestatis imperantium eosque proferendos limites esse , ut circa sacrorum quoque administrationem, quae e reipublicae salute & commodo ecclesiae sunt , constituere queant. Contra, qui sacri ordinis viros illorum imperio eximit , aut potestatem qua etiam circa sacra gaudent, arctioribus, quam decet , limitibus circumscribit, in ipsam illam summorum imperantium auctoritatem est iniurius. Episcopis ergo & hic non alia quam parendi gloria relicta est, nec sine crimine imperantium iura labefactant, aut quae ab officio illorum aliena sunt, usurpant. Sane quae vulgo episcopis tribui solet potestas externa, est pars summi imperii, ab imperantibus, non episcopis administrandi. Sunt qui externam illam episcoporum potestatem iterum duplarem faciunt , cum alia ad *legem*, quam vocant , *dioecesanam*, spectet, iurisdictionem inferat alia. Ad

prio-

ad uul. l. p. diecestanam

SS (m) SS

priorem, visitationem, seu inquisitionem in vi-
tam & doctrinam inferiorum ecclesiae ministro-
rum, itemque bonorum ecclesiasticorum ad-
administrationem referunt. Vtrumque autem
haud dubio summorum imperantium est offici-
um. Prius enim imperium in eos, in quorum
mores ac doctrinam inquirendum est, supponit.
Namque de inquisitione, quae cum potestate
corrigendi, emendandi, puniendi, coniuncta est,
intelligitur, quae utique non docentium est,
sed imperantium. Bona vero ecclesiastica, sunt
reuera bona reipublicae, ad certum saltem usum
destinata: quorum tamen possessio penes rem-
publicam est aut imperantem. Ab imperante
itaque & illorum administratio recte suscipitur,
aut aliis demandatur. Praeterea hic referunt
potestatem conuocandi concilia: quam iterum
imperantibus potius summis tribuendam esse,
non ratio modo dicitat, sed veteris quoque ec-
clesiae consuetudo testatur. Ab imperantibus
enim summis creberrima conuocata esse conci-
lia, postquam illi ad sacra christianorum acces-
serant, ex ipsis Romanensibus, vir doctus &
cordatus EDMUNDVS RICHERIVS, in sua conci-
liorum generalium historia, demonstrauit lucu-
len-

vel Juris Doctor
lenter. Sed mitto cetera, de quibus ex dictis
omnino censendum. *Iurisdictionem* autem,
quae altera pars est *externae potestatis imperantium*, non autem episcoporum propriam esse,
adeo manifestum est, ut nec illi, qui cetera episco-
pis vindicant, hanc illis tribuere audeant. Vtique,
si primitiae ecclesiae consideremus episcopos,
illos, cum modestia & patientia maximum ad-
huc episcoporum ornamentum censeretur, ab
omni imperio procul fuisse remotos, res ipsa
doctet, & vel apostolorum exemplo constat.
Fateor equidem, cum imperatoribus principi-
busque ethnicis adhuc subessent christiani, ad-
que illos hanc libenter causas suas deferrent,
factum inde esse, ut episcoporum opera dissidi-
is illorum componendis, aliisque negotiis expe-
diendis, adhiberetur. Praeterea cum sacrorum
externa directio ab imperantibus, alienis quippe
a doctrina christianorum, negligeretur, haec ve-
ro omnino necessaria esset, non poterat aliter
ecclesiae consuli, quam ut eadem susciperetur
ab episcopis. Hinc sane ingens illorum aucto-
ritas, iusque dirigendi, sacra & quaedam impe-
rii species. Ea vero quam ad tempus illis de-
ferre necessitas iubebat, iterum se abdicare po-
testa-

testate debuissent, postquam imperantes ipsi, christianorum sacris imbuti, iam minere suo fungi, & ecclesiae capeſſere habenas poterant. Sed ambitio & imperandi cupiditas aliud suasit, effecitque, ut monitum ſeruatoris, *vos autem non sic*, obliuioni traderent. Fauebat episcoporum cupiditati ſuperſtitio imperantium, ampliſſimamque imperii partem, impune ab illis usurpari, permittebat. Quo factum, ut citatis gradibus incrementa ſumeret auctoritas episcopalis, & ex doctoribus fierent principes, rerumque domini. Quodue initio precario velut aut ex necessitate habebant, iam afferere ſibi palam, verbis & factis; vnde iura ista episcopalia enata ſunt, insigni cum imperantium iniuria atque damnō coniuncta. Sed omnem rei huius feriem, alii ex instituto enarrant pluribus.

§. XXXV. Iam ergo, cum quae ratio ſit potestatis episcopalis conſtet, ad DODWELLVM iterum accedimus. Fontes potestatis episcopalis altius ille repetit, nescio maiori ne ſubtilitate, an soliditate. Nexus nimirum viſibilium episcoporum, cum inuifibili, cauſam fuisse putat,* cur ſingulorum episcoporum ſententia, ius com-

P

muni-

* §. XXXII. p. 148. ſeqq.

¶ (114) ¶

munionis vniuersalis dederit vel abstulerit. Quo ipso varia complectitur, quae separata, rem omnem statim manifestam reddunt. Supponit, singulorum episcoporum sententias ius communionis vniuersalis dedisse, aut abstulisse. Id equidem cupiebant episcopi. Num recte? Non id affirmauerim. Ius communionis dandi, aut afferendi, erat peres ecclesiam. Et qui excommunicatus rite ab ecclesia particulari erat, non poterat non separatus esse ab ecclesia vniuersali. Quae a membro absconditum pars, simul a toto corpore absconditur. Iam ergo si non haberunt episcopi illud ius, nisi in quantum nomine ecclesiae, & ex eius consensu hoc exercebant, frustra de eius fundamento disquiritur: operamque perdit auctor doctissimus, tam operose ex nexa visibilium episcoporum cum invisibili, hoc deriuans. Quae hac occasione de ecclesia catholica differit, & cur particulares, catholicae dici queant, erudita sunt. Et id quidem recte adserit, catholicam non posse dici ecclesiam, quae non in doctrina consentiat cum ecclesia apostolica. Ast quod addit, * ut catholica sit ecclesia, necesse esse, ut regimen ab apo-

* S. XXXIV. p. 165.

apostolis relictum hereditaria successione inuolutum conseruarit, id cum grano salis accipendum. Infert enim, communione ecclesiae catholicae excidere, qui episcopale regimen spernunt. Non illi certe, inquit, qui regimen illud peruerunt, & e monarchico fecerunt aristocratum. Non illi, inquam, qui non hominibus tantummodo in officio constitutis parere nolebant, sed & ordinem vniuersum ab apostolis relictum, penitus etiam sustulerunt. Enimvero ordinem a Christo ac apostolis constitutum sancte obseruandum esse, fatemur. Ast non alium, quam generatim docentium seu pastorum, qui & episcopi dicuntur, Christus constituit, vt supra euicimus. Quae inter docentes istos deprehenditur diuersitas, ex accidenti est, & a vario ecclesiae cuiusdam statu prouenit. In his itaque quae ex accidenti sunt, si forte ecclesia quaedam abeat ab exemplo veteris ecclesiae, neutiquam dixerim, eam ideo pro catholica non esse habendam.

§. XXXVI. Extat CAECILII CYPRIANI de vnitate ecclesiae, liber singularis, in quo docet, vt vnam ecclesiam, ita vnum quoque esse episcopum, vnumque episcopatum. Episcopatus, inquit, unus est, cuius a singulis in solidum pars

tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur. * Et alibi: ** a Christo una ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa. Item episcopatus unus, episcoporum multorum concordanti numerositate diffusus. Haec vero rursus doctissimus DODWELLVS μυσικωτέρως secundum ratiocinia Platonica explicat, ex visibilium atque inuisibilium κοινωνίᾳ. Iura inquit, *** harum ecclesiarum omnium una eademque, & cum coelestis ecclesiae iuribus plane eadem, faciunt profecto, ut inuicem eadem essent, quae ita cum uno tertio coaluerint, a quo acceperint, ut ecclesiae etiam ipsae appellari potuerint. Nam archetypis illis ut unitatem, ita veritatem etiam, tribuebant Platonici: & αληθειαν inter communionis mysticae & archetypae beneficia, recenset etiam Ioannes apostolus. Itaque pro sententia Hellenistarum, non magis nomine ecclesiae habendae erant bae, quas nos in terris vocamus ecclesias, quam pro diuersis solibus habendi essent unius eiusdemque solis parhelii. Et hinc porro explicat, quo pacto unicus saltem sit episcopus, cum unica sal-

tem

* p. m. 78. edit. quae Amstelodami anno MDCC. in fol. prodidit.
** Epist. LVI. *** §. XXXV, p. 169.

tem sit visibilium episcoporum operā , vt inuisibilis episcopi vices , pro sua quisque ditione sibi demandatas habeant : eiusque proinde nomine sententias in terris pronuntient , ab ipso in coelo confirmandas . Itaque cum non suo , sed Christi nomine omnia agant , proinde vnicam representare omnes Christi personam . Et ita quoque vnum esse in orbe vniuerso episcopatum , cum vnicus sit , qui vere proprieque dici possit episcopus . Recte quoque dici a CYPRIANO , episcopatus huius partem a singulis teneri in solidum . Tantum enim posse singulos , quantum possunt omnis orbis episcopi , collatis in medium suffragiis . Admittere enim in omnium communionem singulos , atque ex eadem reiicare ; quo nihil maius possint vnitae omnium singulorumque sententiae . Ita quidem DODWELLVS , in quibusdam recte , & praeclare satis , philosophatur . Christum enim supremum omnium esse episcopum , reliquos episcopos Christi saltem munere fungi ; & quae reliqua sunt eiusdem generis , verisime dicuntur . Sed cur ad haec explicanda ratiocinia Platonica in subfidium vocentur , ego non video . Namque , neque his opus erat , neque patres hisce in

33 (118) 52

hac causa innixos esse, arbitror. Saltem qui a postolis scriptoribusque sacris, Platonica ratione obtrulerit, nae! is iniurius fuerit in illorum simplicitatem. Potest sane CYPRIANI, sine mysteriis Platonicis capi & explicari sententia. Vnam nimurum profitetur nobiscum ecclesiam, quia omnes credentes per fidem cum Christo eum capite uniti, & hinc inter se quoque arctissimo vinculo colligati sunt. Accedunt ceterae rationes supra a nobis iam expositae. Hanc ecclesiae unitatem ut eo fortius demonstraret CYPRIANVS, argumentum deprompsit ab unitate episcopi, h. e. ut ipse mentem luculenter explicat, ab episcoporum aequalitate, quae tanta est, ut unus saltem reuera censeri debeat episcopus. Hanc vero unitatem etiam per Petrum representatam, contendit, cui Christus gregem commiserit, dicendo: *super istam petram aedificabo ecclesiam meam*, &c. item: *pascere oves meas*, &c. Non sane ac si non reliquorum apostolorum eadem fuerit potestas: Christum tamen hoc fecisse, ut unitatem ecclesiae indicaret. *Super unum*, inquit sanctissimus martyr, * *aedificat ecclesiam suam*. Et quamvis apostolis omnibus pa-

* l.c. p. 77.

rem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite spiritum sanctum &c. tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate profiscitur, ut ecclesia una monstretur. Clarius alibi mentem explicat CYPRIANVS : * Etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, & oves universas, quas Christus sanguine suo & passione quaesuit, colligere & fouere debemus. Eundem itaque in sensum & episcopatum unum dixit, cuius a singulis in solidum pars teneatur, ob episcoporum videlicet paritatem. Locutio ista ab vnu forensi desumpta est. Solent enim conuentiones iniri, quibus singuli non pro rata parte, sed in solidum tenentur, & omne id quod praestandum est, in se recipere coguntur. Quod maximam sociorum aequalitatem indicat. Id vero & in episcopatu ita se habere putat CYPRIANVS, indeque maximam aequalitatem omnium episcoporum etinicit. Fatoe, non accurate satis ubique rationes subducit.

cit

* epist. LXVIII.

¶ (110) ¶

cit CYPRIANVS : sed id solenne admodum patri-
bus est, in ratiocinandi arte non aequa semper
exercitatis.

§. XXXVII. Quae nunc porro hinc DOD-
WELLVS pro potestate episcoporum colligit, sua
sponte corruunt. Fundamento enim destructo,
labascere cetera oportet. Factum enim inde pu-
tatur, ut episcopi proprium velut collegium con-
stituerint, vniuersae ita ecclesiae fata dispensan-
tes. Ita est: contingit doctissimis viris, ut ec-
clesiae rationem ad imperii cuiusdam aut reipu-
blicae modum exigant, a quo tamen longissime
abest. Hinc aut monarchiam, aut aristocratiam,
in ea quaerint. Sed cum Christus nec seorsim,
nec coniunctim, episcopos imperitare ecclesiae
voluerit, eosque doctores, non principes con-
stituerit, irritus vanusque est omnis ille, quem
in certa ecclesiae constituenda forma, suscipiunt,
labor. Ecclesiae rector supremus Christus est,
qui spirituali ratione per verbum, ab epis copis
& doctoribus rite tractandum, ecclesiam dirigit:
externa autem directio ad principes rerumque
dominos pertinet, ut supra demonstrauimus.
Superuacanea itaque etiam est viri clarissimi ope-
ra, dum probat, utilissimam fuisse hanc eccl-
esiasti-

siaſtici regiminis formam , tum vniendis in ſe ecclieſiis , tum ecclieiarum diuersarum concordiae ſecum inuicem ſtabilienda. Quid ſi vel experientia teſtetur , ex nimia epifcoporum po teſtate , diſſenſiones & ſchismata ma xima orta eſſe ? Ve rum , & vnicum medium , quo vniri ecclieiae poſſunt , eſt fides in Christum , per quam cum capite , adeoque & inter ſe vniuntur ac colligan tur. Et haec vni ca quoque ratio eſt , alendi , fouendi , & ſtabiliendi concordiam. Fidei atque amoris ſi expertes ſint animi , quamcunq; ex cogitaueris regiminis eccliaſtici formam , diſſenſionum controuersiarumque , nec modus erit , nec finis.

§. XXXVIII. Imparitatem , quae deinceps obtinuit , epifcoporum , pa ctis tribuendam , cen ſet clarissimus DODWELLVS *. Aſt ſi diuina vo luntate & conſtitutione fuerunt pares , non po tuerunt pa ctis immutare , quod a Numine con ſtitutum erat. Nec fas eſt pacifici ſuper iis , quae po ſita non ſunt in noſtra po teſtate. Aſt quicquid huius ſit , ambitionem & imperandi cupi ditatem , vt epifcoporum ſupra presbyteros ζεοχνv , ita & epifcoporum imparitatem intro duxis

Q

duxis

* S. XL. p. 184.

duxisse, si quis dubitauerit, nae! illum hospitem admodum ex veterum annalibus retulisse animum oportet. Quod si pacta intercesserunt, & haec aliorum extorsit ambitio. Qui enim resistere potentioribus diutius non poterant, vi coacti in suam tandem consentiebant subiectiōnem. Sed haec $\omega\dot{\imath}\dot{\sigma}$ $\dot{\epsilon}\nu\pi\alpha\dot{\eta}\dot{\delta}\dot{\omega}$. Proprius ad protestatem episcoporum pertinet, quod porro vir doctus tradit *, episcoporum in fēdes vacantes sufficiendorum ius, non ad presbyteria spectasse, sed ad collegii prouincialis episcopos. Perperam. Namque nec ad presbyteria hoc ius spectauit, nec ad collegium prouinciale episcoporum, sed ad populum. Cum in locum Iudae proditoris, nouis eligendus esset apostolus, a tota hoc fiebat ecclesia, *Actoř. I. 15. seqq.* Eundem in modum p̄eracta fuit elec̄tio septem diaconorum, *Actoř. VI. 2. seqq.* Quae tam manifesta sunt, vt nec Romanenses, quid ad haec respondeant, inueniant. Nonnullos equidem eousque in transitorium egit mens profana, vt ex hoc exemplo, legem generalem, formamque electionis, semper obseruandam, colligendam, negent. Quos, quod mirandum merito, sequitur

* *S. XLI. p. 189. seqq.*

quitur vir summus, HVGO GROTIUS *. Ast re-
etissime obseruat DAVID BLONDELLVS, ea omnia
praecepti vim includere, quae ad imitandum
propolita sunt, nec nudam legem, sed praxi
quodammodo amictam, repreäsentare. Sed
hanc quoque primitiuae & purioris ecclesiae fuisse
conluetudinem, aliis adhuc iisque luculentissi-
mis historiarum comprobari posset documen-
tis: sed hoc iam abunde actum est ab aliis, spe-
ciatim a viro ecclesiasticarum rerum peritissimo,
CASPARE ZIEGLERO **.

§. XXXIX. Nimis profecto episcopis su-
is fauet DODWELLVS. Namque ut plane inde-
pendentes eos esse ostendat, nullis eos obnoxios
fuisse iudiciis, in spiritualibus quae vocat,
contendit. ** Ita quippe capio, quae hac de re
differit. Namque in ciuilibus eos imperantium
summorum iudicio exemptos esse, vix, puto,
adsereret. Nimis hoc foret impudens. Sed quod
ad ea attinet, quae ille quidem subinnuit, re-
pugnat russis veteris ecclesiae consuetudo, i-
psaque episcopalnis muneric ratio, ad diuinorum
litterarum praescriptum exacta. Enimuero, ec-

Q₂ clesiae

* de imperio summar. potestat. circa sacra. cap. X. n. 3.

** de episcopis lib. II. cap. I. *** XLIII. p. 190. seqq.

clesiae iudicio obnoxium fuisse episcopum, constat, & nemini ignotum temere esse potest. Penes ecclesiam namque, & iudicandi & excommunicandi quoque fuisse potestatem, supra euicimus. Si vero reliquos, cur non & episcopum? Nonne controuersia de legibus ceremonialibus oborta, ecclesiae iudicio in concilio Hierosolymitano se submittebat Paulus apostolus? Quod vero vir doctissimus adserit, in causa sacrificii, haereseos, aut schismatis, non opus fuisse depositione: qui enim eiusmodi criminibus se obstrinxissent, statim re ipsa excidisse auctoritate & officio episcopali, id oppido frigidum est atque ieiunum. Utique indignos se isti re ipsa reddebat episcopali munere: sed ideo non excidebant eodem re ipsa, nisi ecclesiae auctoritate compulsi eodem se abdicarent. Poterant enim utique & functiones & auctoritatem, episcopis conuenientem sibi vindicare. Vedit proh! dolor, orbis, nimis multos episcopos, episcopali munere fungentes, licet eodem indignos, ingemuitque. Nec qui haeresi aut schismate se polluunt, istorum vniquam se reos criminum agnoscunt. Multo ergo minus credent, se episcopali munere excidisse. Ergo necesse est, ut auctoritas

ritas ecclesiae accedat , vt causa rite disceptata,
vel innocentes pronuncientur , si criminum con-
uinci nequeant , vel rei criminis & poenae , si
fuerint conuicti . Id quod & consuetudo veter-
ris ecclesiae comprobatur . Quae vti viro harum
rerum peritissimo ignota esse non potuit , ita vt
hinc se expeditat , ad scholasticas subtilitates se
recepit , causae suae hoc ipso prodens imbecilli-
tatem . Quaestione enim proposita , num po-
tuerit episcopus , a collegis exuī episcopatu : re-
spondet : *& nec hic quidem dubitandum erat ,*
quin potuerint collegae eum saltem pro collega non
agnoscere , qui se ipsum episcopatu exuerat , per
crimina . Exponit hinc , quibus demum criminibus
episcopus se ipsum episcopalē dignitate exuat , &
tum porro addit : nam ne hic quidem quaestio
fuerit de episcopo : sed de illo , qui olim fuerat ,
iam vero non sit amplius episcopus . Hic ergo tan-
tummodo de facto quaeritur . De eo vbi constat ,
non habet reus , qua exuatur , potestatem episco-
palem : nec opus erat iudice , qui eum exuat , sed
quo sedes illius antea vacua , suppleatur . Hoc
ergo sibi vult , reliquos episcopos , posse eum
qui insigni aliquo se obstrinxit crimine , non a-
gnoscere pro collega : ast non exuere dignitate

Q 3

episco-

episcopali ; posse rursus alium *in sedem vacan-*
tem substitui ; ast depositionem ipso fieri facto,
non iudicio ecclesiae. Sed haec ut rite diudi-
centur, paucis ex ipsis fontibus repetenda est,
ecclesiae & conciliorum circa episcopos, qui suo
se indignos reddiderunt munere , potestas. Id
enim uero constat, posse non tantum quodlibet
ecclesiae membrum, si indignum christiani no-
mine se reddiderit, sed & speciatim episcopum
communione priuari. Quae excommunicatio,
etiamsi non habeat indolem atque rationem poe-
nae civilis : id tamen efficit , vt excommunicatus
ceu inutile ecclesiae membrum reiiciatur. Id-
que cum fiat iudicio ecclesiae , constat hoc pa-
cto tum omnes christianos, tum maxime & e-
piscopos ecclesiae iudicio obnoxios , nec ea ra-
tione independentes dici posse. Nec enim, cur
hic alia ratio episcoporum, quam reliquorum
christianorum esse debeat, video. Et licet hic-
ce actus consistat in priuatione, dum impium
pro membro ecclesiae *non agnoscunt* ; supponit
tamen simul examen criminis quod illi imputa-
tur, & discussionem, adeoque *quoddam* velut
iudicium : licet ab indole iudicij civilis , quod
imperio nititur, toto coelo diuersum. Praeter-
ea cum

ea cum ita separandus est aut quilibet christia-
nus , aut speciatim episcopus , actus omnino
externus accedat necesse est , quo indignus pro-
nuntietur , vt aut pro christiano , aut episcopo , in
posterum habeatur . Vnde frustra dicitur , e-
piscopum enormi delicto seipsum exuere epis-
copali dignitate , vt tantum alius in eius locum sub-
stituendus sit . Prouoco ad omnia , quotquot
huius rei in historia ecclesiastica occurrunt , ex-
empla . Nunquam aliquis in alterius locum sub-
stitutus est , nec substitui potest , nisi per solen-
hem sententiam episcopatu ei , qui deliquit , ab-
rogato . Aliud autem est , quod & supra monui ,
indignum esse munere , aliud eodem priuari . Multi
indignissimi sunt , qui ipsum tamen munus retinent ,
& quamdiu retinent , non potest dari illis suc-
cessor . Iam quae est ecclesiae potestas , illa etiam
quodammodo conciliis , quae ecclesiam exhi-
bent & repraesentant , competit . Absit , vt iu-
risdictionem , aut imperium , aut legislatoriam
facultatem , aut potestatem pumiendi , conciliis
tribuamus . Non est maior concilii auctoritas ,
quam ipsius ecclesiae . Ecclesia autem non est
eiusmodi status , qui imperio quodam gaudeat .
Quare nec conciliis eiusmodi quid competit .

Nihilo-

Nihiloſecius, cum vera ratio conciliorum in eo
conſiftat, vt plures ſanctitatis & doctrinae opi-
nione clari eo facilius diiudicent, quod paucio-
rum aut vnius iudicium fugere poterat, ſiue de
doctrina orta ſit controuerſia, ſiue vitae cuius-
dam integritas atque innocentia in ſuspicionem
ſit addueta; patet, tum reliquos omnes, tum
maxime & episcopos non poſſe hocce iudicium
ſubterfugere, quod ad ecclesiae conſeruationem,
comparatum, ad res dubias explicandas maxi-
me accommodatum, & primitiuae ecclesiae con-
ſuetudine confirmatum fuit. Eſt tamen, ne quae
diuerſa ſunt, inter ſe miſceantur, probe tenen-
dum, qod inter concilii & ecclesiae poſteſtatem,
intercedit, diſcriben; nec negligenda, quae hic
accedunt partes ſummorum imperantium, poſt-
quam & illi membra ecclesiae christianaee con-
ſtituunt. Namque concilii non alia eſt poſteſtas
aut auctoritas, quam collatis ſententiis exquiere-
re, quid verum falſumque ſit, ſiue de doctrina,
ſiue de vita epifcopi, orta ſit contentio. Decre-
tum concilii tum vero demum admittendum, ſi
iustis & praegnantibus ſuffultum fuerit rationi-
bus: ceteroquin ab his ſi diſcedas, iuxta conie-
eturarum leges, tanto maioris minorisue erit
pon-

ponderis, quanto plures aut pauciores adfuerunt doctrinae & integritatis laude illustres. Ast ecclesiae demum, si accurate rem metiaris, competit executio. Ut enim facultas constituendi pastores & episcopos est penes ecclesiam, ita penes eandem non potest non esse facultas eos iterum repudiandi, & munere isto exuendi. Quod si vero adhuc civilis quaedam coercitio necessaria sit, tum demum magistratus imploranda opera: cui nec directio in reliquis, qua concilia, qua ipsam ecclesiam, deneganda. Et ex his demum quae de synodorum, tum *generalium*, tum *specialium*, auctoritate in episcopos, auctor differit, * diuidicari possunt.

§. XL. Ut vero ostendat vir doctus, quantum momentum in ecclesiis trahat potestas episcoporum, denuo ad ratiocinia Platonica reddit **, serioque inculcat, non esse cur a Deo quis mysticae vnitatis beneficia expectet homo, si conditiones mysticae vnitatis consequendae a Deo positas, ipse repudiauerit: Deo autem placuisse, vt vnitatem mysticam, visibilis imitaretur, quae quidem, quoad caput mysticum, con-

R sifat

* §. XLIII. p. 195 seqq. ** §. XLIV. p. 201 seqq.

sistat in regimine monarchico, seu episcopali, ecclesiae; & quae alia sunt eiusdem commatis, supra iam allata. Quae tamen rectiora edoctos vix mouebunt. Valdeque vereor, ut seculum nostrum haec ratiocinia Platonica capiat. Immo non dubito fore qui existiment, lubrico admodum fundamento iura episcopalia niti, quod Platonis saltem superstructa sint ratiociniis. Scriptura quoque istas plane ignorat ambages. Namque per eam ad salutem sufficit, credere in Christum; quod qui faciunt, cum eo ceu capite corporis mystici, omnibusque corporis huius membris, per fidem vniuntur; simulque participes fiunt, omnium vnionis huius mysticae beneficiorum. *Ephes. I. 22. 23. Job. XV. 1. 2.* Esto, in regimine episcopali, quandam vnionis huius mysticae imaginem conspic, inde tamen nexus eiusmodi necessarius inter regimen episcopale, & vniuem mysticam cum Christo, ut huius particeps fieri nequeat, qui & illius non fit particeps, neutiquam sequitur. Sed istud quidem patet iam ex iis, quae supra ea de re sunt disceptata. Quam egregie autem fallitur vir doctus, dum episcopatu vbique restituto, priscam fidem, pietatem, & tantum non aurea in ecclesia re-

35 (131) 36

sia redditura secula, sibi per suadet! Tam proni
ad quiduis credendum sunt mortales, cum cau-
sae suae nimis fauent! Mihi sic videtur, ut fides
pietasque a tractatione verbi diuini conuenien-
te cum primis pendent, huius vero non unum
sed plurima sint obstacula, tum demum laetius
utriusque incrementum sperandum esse, si ob-
stacula ista ita remoueantur, ut & diligentius ad
diuinorum litterarum praescriptum ubique pro-
ponatur, & animi submissione ac obsequio ma-
iori, ab audientibus admittatur. Regiminis ec-
clesiastici qualiscunque sit ratio, si fidei animi non
sint purgati, nec sobrie munere suo fungantur
doctores, non potest non ab iis quae humano
consilio constituta sunt, plus incommodi, quam
utilitatis, in rem christianam redundare.

§. XLI. Ast magnum reformationi impe-
dimentum attulit, felicissimumque eius cursum
velut susflaminauit, episcopalis dignitatis abro-
gatio. Ita quidem DODWELLVS censet. Mul-
tos enim admodum suisse putat, etiam ex ad-
uersa parte, quibus necessaria visa fuerit refor-
matio, modo iusta fuisset reformatum aucto-
ritas. Quod ita capio, ab episcopis, quales Ro-
mana ecclesia fingit, instituendam suisse reforma-

R 2 tio-



tionem. Quorsum & illud pertinet, quod de vocatione ad reformatum addit; ordinaria scilicet cum destituti fuerint, configiendum fuisse primis reformatoribus ad extraordinariam, idque non sine periculo. Intelligebant enim, inquit, *viri prudentissimi*, quantam sceleratis portam aperturus esset praetextus ille quidlibet audiendi, sequidem sine extraordinariae vocationis extraordinariis argumentis admitteretur. Multa alia hinc subiungit incommoda & pericula, per episcoporum abrogationem inducta, quibus ab ecclesia protestantium auersi sint, qui talia prospexerint. Nec illud praetermittit, episcopos vel ideo abalienatos fuisse a reformatione ecclesiae, quod intelligerent, in Romana ecclesia se abundare auctoritate, honore, dinitiis; quam primum ad protestantium cœtum se contulissent, his omnibus sibi carendum, in squalore, contemptu, paupertate ducendam vitam esse. Idque vel Germaniae exemplo comprobari posse. Ecclesiasticos autem, quorum tutissima, in reformatis ecclesiae scandalis fuisse auctoritas, hac ipsa violatione potestatis episcopalnis a se alienabant, & hostes sibi infensissimos effecerant. Tot nempe principes in Germania seculari pariter atque sacra

sacra dignitate potentissimos. Hi enim si ad reformatos sese contulissent, sedibus exuebantur, ut expertus est Hermannus Colonensis archiepiscodus, honore etiam electoraliter conspicuus. Nec quidquam habebant, quo fieret tanta contumeliae compensatio, ignobiles ipsi apud Reformatos, & in ordinem vulgarium ministrorum redigendi. Haec vero cum speciatim & nostram ecclesiam feriant, haud abs re fuerit, rem omnem explicare paulo accuratius.

§. XLII. Cum ecclesiae reformationem institueret, vir sine controversia maximus, MARTINVS LVTHERVVS, inter reliquos abusus etiam ei occurrebat, ordinis sacri, limites in diuinis litteris praescriptos, multum supergressa, potestas episcopalis. Ipse quidem illi, quam episcopi tunc usurpabant, potestati, initio dare aliquid videbatur, dum pontificis & cleri iudicio se submittebat: * rebus omnibus tamen accurate consideratis, de illorum officio & potestate statuebat ita, prout statuere diuinae iubebant litterae. Nec tamen ideo ipsum ordinem iusta ratione, ad diuinarum litterarum praescriptum tempera-

R 3 tum

* Vid. Seckendorff. *bistor. Lutheranissimi lib. II. §. XL.
p. 115.*

tum, sublatum cupiebat LVTHERVUS eiusque socii.
 Immo posse eundem ceu ab ecclesia iam pridem
 introductum & approbatum tolerari , profite-
 bantur, modo ad iustos reuocaretur limites, age-
 rent etiam episcopi , quae officii illorum ratio
 postulabat. Nonnulli equidem protestantium
 theologi , duce PHILIPPO MELANCHTONE,
 mitioris ingenii viro , in comitiis Augustanis an-
 no M D XXX. celebratis, ita ea super re , men-
 tem declararunt suam: *Episcopis etiam iurisdi-
 ctio cleri restitui posse videtur, ut & sacerdotes
 ordinent, & quoad ceremonias ecclesiasticas gu-
 bernent, sed eatenus tantum, quatenus nostram
 doctrinam non oppugnant ac prosequantur , nec
 impia onera alicui imponant.* Ea enim constitu-
 tio qua episcopi sacerdotibus traditi sunt inspecto-
 res, & superattendentes , multas habuit easque
 iustas causas, cum iis sacerdotes carere non pos-
 sint. *Ad hoc politici principes gubernationi ec-
 clesiasticae diu praeesse & vacare non possunt,*
*cum & viribus suis maior illa sit, & ingentes re-
 quirat sumptus. E diuerso vero episcopis tot ac tan-
 ti redditus ordinati & attributi hanc ob causam*
sunt,

* conf. Seckendorff l.c. lib. II, §. LXVII. p. 176. add.
 & §. LXVIII. p. 179.

sunt, ut eiusmodi sustineant personas, & talia officia gerant. * Ait eos quidem pacis studio, plus quam decebat, Romanensibus induluisse, palam est: quanquam tolerantiam potius, quam adprobationem, haec illorum verba prodere videantur. Quidquid huius sit, apertius sententia nostrae ecclesiae exhibetur in ipsa Augustana confessione, in qua non alia quam quae doctoris est, potestas, episcopo tribuitur: * sic autem sentiunt, (vox est confessorum) potestatem clavium seu potestatem episcoporum iuxta euangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, praedicandi euangelii, remittendi & retinendi peccata, & administrandi sacramenta. Quae latius ibidem edisserunt, sedulo inculcantes, non esse commiscendas potestates ecclesiasticam atque ciuilem. Idque repetunt, & pluribus etiam confirmant maiores nostri, tum in apologia Augustanae confessionis, ** tum in articulis Smalcaldicis. *** Et ita est, non potest, per indolem officiumque doctoris euangelici episcopis alia tribui potestas, nec alia in veteri gauisi sunt ecclesia. Interim, vt in veteri ecclesia quidam ex presbyteris sensim eminere coeperunt,

* abuf. VII. p. 37. ** art. XIV. p. 294. seqq.

*** p. 351. seqq.

runt, quibus tandem in reliquos eiusdem urbis & dioeceseos inspectio quaedam commissa fuit: ita hoc exemplum eousque imitati sunt in constituendis ecclesiis, primi reformatores, ut non nullos nomine tituloque *superintendentium*, vel *praepositorum*, praecesse aliis voluerint; episcopalem ita ordinem, ut supra dixi, ad veteris ecclesiae exemplum compositum, reuera retinentes. Neque prorsus *episcoporum* etiam nomen repudiarunt, quippe quod Suecia adhuc retinet: quanquam *superintendentes* latine dici, quos Graeci episcopos vocant, iam suo tempore obseruauerit AVGVSTINVS.*

§. XLIII. Facebat itaque exprobratio DODWELLI in nos directa: ** *episcoporum cum potestate aboleuistis plerumque nomen, &c. etiam cum retinuistis nomen, quod latine tantundem valeret, superintendentium.* Non enim prorsus aboleuimus potestatem episcopalem, sed ad iustos limites reuocauimus, idque ad prescriptum diuinarum litterarum, & exemplum veteris ecclesiae. Nec alia erat ratio emendandi tandem ac corrigendi ecclesiam, quam ut initio ab ordine docentium facto, hi tales esse iuberent-

* de Ciuit. Dei, lib. XIX. cap. XIX, ** p. 204,

berentur, quales esse debebant. Cumque ii ipsi,
 qui eo tempore episcoporum nomine tituloque
 superbiebant, hunc suo deessent muneri, ab aliis,
 ipso munere, licet non nomine episcopis, res
 tanti momenti perficiendae erant, consilium di-
 uinitis captum, adprobante euentu. Quibus
iustam defuisse auctoritatem, illi demum existi-
 mabunt, qui ex seculi potius moribus, quam
 diuinis litteris episcopum metiuntur. Fuerunt enim
 plerique illorum qui emendandi & reformati
 ecclesiam munus, in se suscepserunt, verbi diuni mi-
 nistri, & doctores, rite constituti, vocati, creati; qui
 bus facultas docendi veritatem, propagandi, de-
 fendendi, reuocandi errantes, corripiendi refragantes,
 per ipsam Numinis sanctionem compe-
 tebat. Sane nec *ordinaria*, nec *extraordinaria*
 illis defuit vocatio, ut aut vtramque, aut alter-
 vram, in nostris reformatoribus frustra requi-
 rant Romanenses: quorum fabulis quod tanto-
 pere sibi illudi passus sit doctissimus DODWEL-
 LVS, maximopere miror. Namque qui ab ec-
 clesia doctor rite vocatus constitutusque est, hoc
 ipso est episcopus, iuxta apostolicam episcopi
 definitionem, & omnia ea agere potest, quae
 episcopum decent. Extraordinariam vero vo-

cationem, status ipse ecclesiae tantopere corruptus, offerebat & imperabat omnibus, quibus vires a Deo concessae erant subueniendi perditis orbis christiani rebus, ut extraordinariis non opus fuerit argumentis. Nec est, ut quis metuat hac ratione sceleratis praetextum quidlibet audendi, suppeditari, cum & doctrinae veritas, & vitae sanctitas, & alia criteria verum doctorem, singulari Numinis instinctu concitatum, ab impostore probe discernant.

§. XLIV. Quod vero existimat, plures ad ecclesiam protestantium accessuros fuisse, si cum potestate dignitatem episcopalem & diuicias retinere potuissent, in eo iam alios sibi praeueentes habet. Namque & ISAACVS CASAVBONVS, hac de re ita pronuntiat: *amplius dico, nec dico temere, si in nostra Gallia ea reformatio effet instituta, quae formam veteris ecclesiae non adeo immutasset, multa hominum millia nostris partibus fuisse accessura, quae nunc a doctrinae ecclesiarum nostrarum sunt alienissima.* Hoc ego cum nostris ministris in Gallia saepe dicerem, paucos inueni, qui dicitur suam aequis ac moderatis consilii non anteferrent. * Et res quidem ipsa dubio

* epist. IOCLV. ad Grotium. p. 831.

dubio caret, cum papale iugum non possit non multis displicere, ut illud cum libertate, qua ecclesiae protestantium gaudent, libenter permittare vellent, modo retinere honores & diuitias possent. Quo ipso tamen isti satis demonstrant, non se duci sincero religionis atque pietatis studio, nec tam religionem, quam quod commodum est in religione, sibi curae cordique esse, honores autem & diuitias pluris esse, quam amorem Numinis. Romanenses contra cum non alio, saltem validiori vinculo, quam honoribus & diuitiis, continere suos in obsequio queant, mirum profecto non est, quod omnes pro his conseruandis, ingenii sui viriumque nervos intendant. Id vero & Germania nostra experita est. Namque cum anno M D L V. in Augustanis comitiis pax religionis sanciretur, non alia demum conditione consentire in eam voluerunt Romanenses, quam, ut munere & bonis sacris excideret episcopus, qui ad protestantium sacra transiitrus esset, illa etiam tamen estimatione. Cui clausulae, quae referuntur ecclesiastici nomine venit, etsi acriter contradixerint Protestantes, praevaluit tamen auctoritas

S 2 Caesa-

urn:nbn:de:gbv:3:1-160748-p0143-1

Caesaris. * Antea vero cum Hermannus Coloniensis, emendare ecclesiam, eamque ab erroribus Romanensium repurgare in suo archiepiscopatu institueret, per easdem imperii papalis rationes seruari non potuit, pontifice quidem & clero vniuerso, cum imperatore, ad eum opprimendum conspirante. Facile enim profecto intelligunt Romanenses, breui tempore ad incitas redactum iri imperium papale, si retinere dignitates & opes iis fas esset, qui imperio Pontificis se subtrahunt. Hic vero, qui DODWELLIANA ratiocinia sequuntur, multi scilicet ex illorum ordine, qui de sacris non secus ac civilibus rebus censem, valde conqueruntur, maximum hinc adferri rebus protestantium detrimentum, nihil illis funestius accidere potuisse, quam istam pacis religiosae classulam, qua episcopi deterreantur ab amplectendis nostrae ecclesiae sacris, nec efficaciori remedio sisti doctrinae purioris cursum, & impediri felicioris reformationis successus potuisse. Ast libere dicam, quid sentio. Isti

* vid. Recessus imper. Augustae anno M. D. L. O. fatus, §. XIII. fol. 498. add. Pufendorff. histor. Suecic. lib. I. §. XIV. Strauchiū dissert. iuris publ. XIV. Schilterus de libert. eccles. Germ. Lib. VII. cap. XI. §. II.

Isti quidem viri , qui ita existimant , quantumuis
 sint eruditi , & rebus protestantium optime cu-
 piant , non tamen intelligunt , indolem regni di-
 uini , ecclesiae , ac religionis christianaee . Non
 est ea ecclesiae felicitas , vt longe lateque veluti
 imperet , auctoritate , potentia , opibus , floreat ;
 vt praefules habeat dignitate conspicuos , &
 splendore quodam externo omnium veluti in se
 conuertat oculos . Immo haec ipsa ecclesia ,
 quae his omnibus abundat , miserrima plerum-
 que est ; hominum in ea animis seculi vitio , ge-
 niique infernalis fraudibus ita corruptis , vt ple-
 rique diabolo atque mundo , non Christo ser-
 viant , ad illius regnum , non ad huius ecclesiam
 referendi sint . Sub afflictione & calamitatibus
 demum fides & charitas efflorescunt : & vtrius-
 que vbi vberimus prouentus est , ibi laetissima
 est ecclesiae facies . Principes itaque , & episco-
 pi , seculi deliciis irretiti , quibus diuitiae pluris
 sunt , quam agnitus veritatis , dedecori potius
 erunt verae ecclesiae , quam ornamento : noce-
 bunt potius exemplo , aliosque ad vitia secum
 abripiant , tantum abest , vt multum profint .
 Facile ecclesia vera imperatoribus , regibus , prin-
 cipibus , episcopis , seculi mancipiis , caret . Nam-

que semper & vbiique illud apostoli obtinet:
non multi quidem sapientes, quod ad carnem attinet, non multi nobiles: sed mundi stolidissima.
Deus elegit, &c. I. Cor. I. 26. 27. Ast, latius ita propagari ecclesia, veritasque diffundi potuisset.
 Immo propagatur, diffunditurque veritas vel ringentibus regibus, principibusque. Nec vim diuini verbi impedit mortales, quicunque deum sint. Viris piis doctisque, spiritu diuino repletis ad hoc opus est, non episcopis, non principibus, non magnae auctoritatis nominibus. Neque est ut ab humano praesidio securitatem sibi polliceatur vera Christi ecclesia, quae odio mundi est exposita, nec aliud quid sperare potest. Deus vero ipse est qui ecclesiam defendit, conseruat, tutatur; cuius illa vnicce praesidio secura est, salua, incolumis. Quare reformationem veram, diuinae menti conuenientem, ad ecclesiae salutem vnicce comparatam, episcoporum abalienatio parum remoratur aut remorari potest: aliisque longe mediis, aliis consiliis, quam quae hominum sapientia suppeditat, hic opus est.

§. XLV. Romano pontifici cum episcopis non semper bene conuenisse, constat. *Hi enim*

enim ab illo sua labefactata iura, subinde con-
questi sunt. Nec mediocriter ab episcopis sibi
metuebat in concilio Tridentino Romanus pree-
sul, ne postliminio, quae sua essent, sibi vin-
dicarent. * Namque haud raro inter ipsos in-
iustos bonorum possessores contentio oritur,
vno inique parta ad se rapiente, quae aequo
iure ad omnes spectare, reliqui vellent. Quic-
quid huius sit: iuribus episcoporum primaeuis
aduersissimum esse Romani pontificis primatum,
contendit, eundemque acriter impugnat DOD-
WELLVS. Transigat hac super re cum episco-
pis pontifex. Ad nos istae lites non pertinent:
qui & pontificis primatum, & episcoporum
scripturae limites excedentem potestatem, aequo
reiiciimus. Velle ne imperantium summorum
iura paulo immoderatus vellicasset vir doctus.
Principibus, inquit, ** *ius nullum est in episco-*
porum spiritualia. Recte: modo *spiritualia*,
vt decet, capiantur. Docere veritatem, erudi-
re alios ad salutem, exemplum praeire pietatis,
administrare sacramenta, annunciare iis, quos
admis-

* vid. Paulus Sarpius. *bist. Concil. Trid. lib. VII. p. 1049.*

** vid. §. L. p. 219. seqq.

admissorum poenitet, peccatorum veniam, haec sunt spiritualia episcoporum. In his nihil princeps, quod litteris diuinis aduersetur, praescribere potest. Ast aliter episcoporum spiritualia intelligit DODWELLVS. Loquitur enim de potestate quadam episcoporum in subditos, de certis regionibus, iam olim episcopis subiectis. Et quidem, inquit, de facto certum est his ipsis primitiis seculis, quibus obsequium in magistratus inculpatissimum erat, potestatem tamen in subditos sibi christianos exercuisse episcopos, magistratis quantumlibet in iuris atque refragantibus. Certum praeterea est, districtus fuisse urbium, cum suburbanis regionibus, qui eosdem episcopos agnoscabant, &c. Contendit vero vlerius, haec iura eiusmodi esse, quorum magistratus nullo modo possit esse particeps, quibus etiam ita emineat episcopus, ut praeferriri hac ratione magistrati episcopus possit, ut primis quoque seculis sacerdotium imperio anteposuerit auctor vetustissimus testamentorum patriarcharum. Et hac ratione independentes esse episcopos, nec posse hac potestate spirituali, vlla ratione a magistratu politico priuari. Ex quibus id manifestum est, virum doctissimum, iurisdictionem episcoporum, seu potestatem tem-

temporalem, venditare pro spirituali, adeoque
res longe diuersissimas inter se permiscere. Iam
vero ut de potestate vere spirituali, quam antea
definiui, nulla sit est: ita de temporali supra *
iam probatum est, eam episcopis non compe-
tere. Esto, eos in primis seculis, cum magi-
stratus erga christianos officium suum non face-
ret, necessitate vrgente, potestatem eiusmodi
vsurpasse; eandemque conniuite Constanti-
no, aliisque imperatoribus, deinceps quodam-
modo retinuisse; ex eo non sequitur, iure eos
hanc potestatem & hodie sibi adserere. Non
habent a Deo episcopi hanc potestatem: sed in-
uitis magistratibus eam sibi sumunt. Restituant
ergo illam magistratui, cui a Deo est concessa.
Imperare enim, quoctunque modo fiat, magi-
stratus est; episcopi, docere. Habet vero ideo
& sacerdotium suum pretium. Sed rerum hu-
manarum ea est conditio, ut primus imperan-
tium locus esse debeat. Nec enim aliter ratio
imperi constat. Christi regnum non est huius
mundi. Hinc & eius ministri dignitates & ho-
nores huius mundi non quaerunt: multo minus

T

impe-

* §. XXXIV.

imperantibus aut aequiparari, aut praeferrri cupiunt. Si quae autem etiam hic tribuenda sacerdotio dignitas, illa vnicē ex utilitate & commodo, quod inde ad omnes redundat, aestimanda; non ex honore externo, aut imperii vel potestatis amplitudine. Sed reliqua, quae hic auctor cumulat, ex supra dictis diiudicari possunt.

§. XLVI. Restant adhuc nonnulla non praetermittenda in auctore doctissimo sine censura, nec indigna disquisitione eruditorum. Sed instituti limites considerans, contrahenda tandem vela esse, facile intelligo. Quare, ne quid tamen huic commentationi desit, vno ea complecti fasce, & paucis delibare iuuabit. *Principibus*, inquit, * *non est quod admodum fidant, seu reformati, seu etiam pontifici*. Durum hoc & asperum, in rerum dominos, videri poterat effatum. Sed meminisse iuuabit, viuere auctorem in Anglia, tum aliis bonis maximis, tum libertate triumphante. Nec in eo illum reprehendendum magnopere existimo. Paucos enim esse principum, qui sua rite uti potestate didicent,

* §. LI. p. 225. seqq.

rint , experientia magistra constat. Quare si quis ex illis sua , qua circa sacra pollet potestate abuti velit; maximum hinc in ecclesiam redundare incommodum , neutquam diffiteor. Huic equidem videtur medela adferri posse , si minor principum , maior contra episcoporum , in ecclesiae rebus administrandis sit potestas. Nec enim temere id sibi sumunt episcopi , quod iusque fasque sibi esse putant imperantes. Ast nondum haec eius momenti sunt , vt a mea me dimouere sententia queant. Non sunt facienda mala , vt eueniant inde bona. Adeoque nec principibus rerumque dominis eripienda , ea ; quibus pollent , iura sunt , vt ecclesiae saluti consulatur. Tyrannidem praeterea principum si effugiat ecclesia , facile incidet in tyrannidem episcoporum , si horum ultra quam decet , augeatur potestas. Romani praesulis exemplo longe funestissimo edocti sumus , quanti orbi christiano consisterit , leges diuinitus praescriptas , migrare episcopos. Incommoda vero quae a prauis principum hac potestate abutentium moribus , & inconsultis metuenda sunt consiliis , patienti ferre decet animo. Semper etiam cogitandum , regnum Christi non esse huius mundi. Esto :

T 2

affli-

affligatur ecclesia, vexentur probi omnes, experiantur crudelitatem tyrannorum; sub cruce viget fides, crescit, augetur, confirmatur. Nunquam laetior ecclesiae fuit facies, quam cum praesidiis humanis omnibus prorsus esset destituta. Deo itaque ecclesiae tutela committenda; ille seruabit ecclesiam, & pericula quaeviis ab ea depellet, quantumuis insaniant furore, qui eam deletam, & pessundatam prorsus vellent. Si vero maxima orbis vniuersi pars, superstitione pertinacissima imbuta, omnibusque humanae potentia subsidiis suffulta, nihilo secius tandem hominibus omni eruditio[n]is & sapientiae adparatu, omnibus potentiae & auctoritatis adminiculis, destitutis, vietas dedit manus, quod Deus illis adesset, sermonibusque illorum vim diuinam iungeret, quis dubitet, Deum eadem ratione, si velit, per vim diuini verbi flectere ad saniora quorumlibet mentes, & inter fluctus vehementissimos, conseruare ecclesiam posse?

§. XLVII. Constat ergo principibus sua auctoritas. Cura seruandi ecclesiam, vel in uitis principibus & episcopis, Deo reliquatur. Non erit tum ratio metuendi, ne intereat aut dissoluatur ecclesia, si imperantibus facultas *officio spiritua-*

rituali episcopos exuendi concedatur. Ast quale officium spirituale intelligat, iam ex supra dictis patet. Docendi officium temperare quodammodo & dirigere, ast neutiquam conferre princeps potest. Hoc Deus & ecclesia confert. Sed in iis, quae proprie ad principem spectant, si vtatur recte, aut abutatur etiam hac potestate, non statim inde metuenda ecclesiae dissolutio. Lubrico autem in his omnibus auctorem fundamento niti, vel ex hoc eius effato satis superque patet: ecclesiae bona spiritualia omnia Deus non sectae christiana, sed corpori illius politico coniunxit, non scilicet fidei christianorum, sed societati. Luculenter enim hoc ipso indicat, se ecclesiae unitatem in externa saltem coniunctione quaerere, quae tamen potius in coniunctione interna per fidem, cum Christo ceu capite, quaerenda est. Bona quoque spiritualia, vere talia, Deus non ecclesiae, ceu corpori politico, sed ceu corpori mystico & spirituali contulit. Externae autem seu visibili ecclesiae, competit ceu societati vel collegio particulari, in qualibet republica, facultas ea constituendi, quae ad societatem hanc conseruandam sunt necessaria; hoc est, certum docendi & di-

scendi ordinem ; minime autem ad eam necessaria est talis episcoporum potestas , qualem illis tribuit auctor . Vnde nec ecclesiae visibilis , multo minus inuisibilis , quae κατ' οἰκονομίαν ecclesia est , dissolutio metuenda , si vel maxime episcopalis , quam vir doctissimus supponit , potestas , abrogetur .

§. XLVIII. Hoc tamen verissimum est , quod doctissimus DODWELLVS contendit , principes religioni vim inferentes , minime rebus suis confulere . Rectissime & elegantissime hac de re verba facit . Ut cunque tamen , inquit , si rationem placide accipere vellent , ne quidem propriis commodis inferuiunt principes vim sacris inferentes , vel subditorum , multa autem minus suis . A fide data , & iurisiurandi religione pendet omne illud , si quid habeant principes , in hoc mundo firmum . Qui autem subditos coegerint , ad fallendam , quam Deo ipsis dede-
rant , fidem : qua quaeſo fronte expectabunt , ut fides ſibi ipsis data , ſanctior habeatur ? Id quod pluribus ediferit . Vtique ita est , qui fidem Deo datam violare docet aut cogit , non est , quod credat , fidem erga principes integrum & incorruptam fore . Hac vero labefactata , ipsa publicae

blicae securitatis fundamenta concuti atque conuelli, necesse est. Nec tamen ideo ut commo-
dis principum consulatur, aut eripienda illis sunt,
quae suo sibi iure vindicant, aut arctioribus li-
mitibus illorum circumscribenda est potestas.
Optime ita mortalium cupiditatibus suppedita-
retur πρόσφατος bonis omnibus iuribusque spoli-
andi alios, quod hi forte iis non recte uti di-
dicissent, aut ad perniciem plane suam abuti
possent. Cuiusmodi quid, ni fallor, Hispani
commenti sunt, cum in Americanos imperium
sibi adsererent. Rectius enim aiebant, se illorum
consulere posse commodis, quam ipsi suis A-
mericanis. Esto ergo: noceant sibi maximo-
pere principes iure suo circa sacra abutendo:
quid itaque factu opus? Restituendi in pristi-
nam dignitatem episcopi, ne sibi suisque com-
modis rerum domini noceant? Hoc enimue-
ro eset facere malum, vt inde aliquid eueniat
boni; turbare ordinem a Deo praescriptum,
ne potestate sua abuterentur principes, & ad
euitanda minora, maioribus rempublicam ex-
ponere periculis. Nec magnopere credo, bo-
num reformationi, publicum, promoueretur,

vt au-

vt auctor putat *, si vel maxime, quae olim usurparunt iura, episcopi, illis redderentur. Restaurari, fateor, ita ecclesiastica disciplina posse videtur, vt acriori censura coerceantur, qui res velut nouas moliuntur, & a recepta doctrina, ecclesiaeque institutis discedunt. Itane vero iugum, quod vix a ceruicibus nostris depulimus, iterum lubentes recipiemus? Namque maximopere vereor, ne loco vnius, plurium tum tyrannorum subiiciamur imperio. Non est spernenda ecclesiae disciplina, sed laudanda maximopere, si tyrannis, si coactio absit. Mentes tamen non mutabit. Hoc solius Dei opus est. Nec deerit ratio callidis & improbis, excutiendi hocce iugum ecclesiasticum, si suis hoc obstatre ausibus intellexerint. Hoc veteris ecclesiae testantur annales; nisi inficiari forte velis, fuisse prioribus seculis haereticos, qui ecclesiae misere turbauerint tranquillitatem. Quare exemplo, & doctrina improbos & reluctantes reducere in viam laborent veri doctores; disciplina, pro forma cuiusque ecclesiae, recepta, exerceatur, sanete & moderate, vt amoris potius quam

* §. LIV. p. 240. seqq.

quam imperii spicem prae se ferant, qui ecclesiæ præsunt; & tum demum spes erit fore, ut res protestantium mirifice efflorescant, immo ut ad veteris ecclesiae faciem, nostra demum componatur.

§. XLIX. Concordiam cum dissentientibus omnibus, speciatim & Romanensibus, optant cordationes merito atque in votis habent. Prudentiores vident, fore ut intra vota res tota subsistat. Nec multum profecto huic faciet episcoporum in pristina iura restitutio, ut vir quidem doctissimus sibi persuaderet. Sint sane modestiores quidem ex Romanensibus, quibus haec ecclesiastici regiminis forma haud displicat: non magis impune hanc suam sententiam profitebuntur, quam Hermannus elector Colonensis professus suam est, cum sacra protestantium permutare vellet, cum sacris Romanensium. Omnes alios potius, credo, tolerabit Romanus potifex, quaecunque demum profiteantur dogmata, quam illos, qui eis primatum impugnant, aut se obsequio Romanae sedis subtrahunt. Ingenium humanum prorsus ignoret, necesse est, qui sibi persuaserit impune hoc laturos modestiores, quicunque illi demum sint, aut ausuros

V.

etiam

etiam hoc in capite ad Protestantium coetum accedere, si imminentia sibi pericula intellexerint. Quod si vero demum quidam sint, qui episcoporum paritatem primatui Romani pontificis preferant, num ideo in reliquis statim capitibus consentient cum Protestantibus? Aut num minoris forte momenti sunt, quae de iustificatione, bonis operibus, aliisque doctrinae coelestis capitibus, inter utrosque agitantur? Sane, scio minoris haec omnia erunt momenti apud eos, qui ex commodo, non ex doctrinae veritate, religionem christianam metiuntur. At aliter pronuntiabant, qui commodis utriusque partis faceffere iussis, ipsam doctrinae veritatem in religione praecipue spectabant. Hi ergo, si dimissio pontificis primatu, circa episcopatum conueniant, dissentiant autem in ceteris, longe maioris, si rem ipsam spectes, momenti capitibus, num inde partium quaedam speranda concordia?

§. L. Tandem, ne quid ad commendandum episcopatum, eiusque restitutionem quoad pristina iura, pratermississe videatur, doctissimus DODWELLVS, concludit, officia in episcopos primaeva tanti momenti esse, ut hodiernis etiam
cate-

35 (155) 56

chesibus inferenda sint. Huc faciet, inquit, si officia per praedictae ecclesiae, dogmata, rectoribus ecclesiasticis debita, opportune, importune, in libris, in colloquiis, in concionibus, urgeantur atque inculcentur. Praecipue vero, ut in catechesibus quaedam inferantur, hoc spectantia, hactenus neglecta, maxime apud Reformatos. Id quidem si ita capiatur, erudiendos omnes esse, etiam ex plebe, quae doctorum erga auditores, & horum erga illos sint officia, recte se habet. Nec tamen, in nostris saltem ecclesiis, hoc catecheticae institutionis caput, negligitur. Immo, qui quartum decalogi praeceptum explicant, sub parentum nomine doctores etiam pariter ac praeceptores comprehendunt, ut auditores filiorum titulo illis veniant. Iam quae efficacior ratio, quemque hic sui admonendi officii esse potest, quam si auditores quae filiorum, doctores quae parentum partes & officia sunt, obseruare iubeantur? Idem vero etiam in Reformatae ecclesiae catecheticae institutionibus passim fieri, constat. Ast longe aliud quid sibi vult auctor clarissimus. Ea enim quae ipse animo praecepit episcoporum iura, & subiectorum erga episcopos officia, etsi maxime a diuinarum litterarum

praescripto abeuntia, catechesibus inserta cupit.
Qua in re ex nostratibus neminem, paucos ex
Reformatae ecclesiae doctoribus, ab Anglia si
discesseris, secum consentientes habebit. Cum
enim causam ipsam, quam defendendam susce-
pit, nondum euicerit, multo minus aliis per-
suadet, tanti hanc rem momenti esse, in qua
caput salutis nostrae versetur, quaeue adeo ca-
techeticis inseri debeat institutionibus. Est ve-
ro haec communis plerisque, qui nimio se dant
in alterutram partem affectui, scriptoribus imbe-
cillitas, ut omnia quae ad causae, pro qua mi-
litant, grauitatem, necessitatemque demon-
strandam pertinent, conquerant vndique. Ni-
hil itaque frequentius, quam inter capita fidei,
a quibus salus hominum pendet, ea referre,
quae si generatim a prudentioribus aut adpro-
bantur, aut tolerantur, iam nimis praedclare de-
iis sentiunt. Hoc vero illorum condonandum
est affectui. Et in optimo DODWELLO
hoc ferendum arbitror, quod amor erga An-
gliae praesules, maximos utique doctissimos
que viros, si illorum doctrinam atque virtutes
species, & in statum episcopalem, illi extorsit.
Nos vero ut horum praestantissimis in rem pu-
blicam,

blicam, ecclesiasticam, & litterariam meritis
 nihil detractum cupimus, exponendo ingenuae,
 quae verbo diuino, & moribus ecclesiae veteris,
 consentientia deprehendimus; ita & ipsius
DODWELLI eruditionem, eo, quo decet ani-
 mi cultu veneramur: & lubentes profitemur,
 nec doctiorem, nec accuratiorem, episcopos de-
 fensorem, nancisci potuisse. Simul vero confidi-
 mus fore, vt non aegre ferat, nec in malam in-
 terpretetur partem, quae, veritatis amore du-
 eti, disputauimus, quaeue protulimus in me-
 dium dubia. Maximopere enim omnium re-
 fert, vt diuina Numinis voluntas patescat,
 praesertim vero, vt quae regiminis ecclesiastici
 iuxta diuinorum litterarum praescriptum sit ra-
 tio, constet omnibus, ne repudiemus temere
 aut diuinitus, aut ab ecclesia salubriter consti-
 tuta, aut iugum, sine necessitate recipientes,
 libertatis faciamus iacturam, simulque iniuriam
 simus in summorum imperantium auctorita-
 tem, quam sanctam nobis merito esse,
 cum recta ratione, diuinae nos condocent
 litterae.

S. D. G.

AB: 194024

ULB Halle
002 412 144

3



sb

VD77





26 57

Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
**ORIGINE ET POTESTATE
EPISCOPORUM**

SENTENTIAM SINGULAREM

VIRI CLARISSIMI.

HENRICI DODVVELLI
EXPENDENS

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIP E AC DOMINO,
DN. WILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE , IVLIACI , CLIVIAE , AC MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAEQVE, RELIQUA,

AD DIEM DECEMBR. MDCCV.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTENT
P R A E S E S

IO. FRANCISCVS BVDDEVS

SS. THEOL. D. ET P. P.

RESPONDENS

M. IO. DAVID BAIERVS.
IENENSIS.

IENAE
Typis MULLERIANIS.